6
37-d
17

L. 6/14

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE
6
27 C
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-a-16

6-37-d-17

LAZARI CHRISTIANI
CLERICI TICINENSIS
Orationum, & Epiſtolarum

Libri quinque.

Excitet ingenium diſcentis Olympica virtus,
Ipſa, quòd, vna viros ducit ad aſtra deos.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

P·A P·I AE,
EX OFFICINA HIERONYMI BARTOLI.
M D L X X I X.

AD ILLVSTREM VIRVM HIERONYMVM CORNAZANVM

LVSITANIAE REGIS equitem Clariſſimum.

EA eſt vis virtutis, CORNAZANE decus,& verè præſidium ſtudioſorum, vt homines etiá ignotos inuitet, alliciat, trahat ad amorem, & obſeruátiam ſui; Vel quæ in vno te omnium ornatiſsime, elucet virtus tua, quæ primo quidem grauiſsimi tui aſpectus intuitu à bonis omnibus gratiam facillimè ineat, hoc in me iampridem præſtitit ampliſsimè. Nam mehercule,cum me aliquot ab hinc annos Ticinum contuliſſem optimis optimarũ

artium ſtudijs operam nauaturus, (quamquã fortuna humanarum domina rerum priuato me iuuentutis erudiendæ muneri deſtinauit) & ſi anteà nè ampliſsimi quidem tui vllam penitus habueram nominis notionem; Sola tamen me tanti viri præſentia, atq; eminens effigies illa virtutis animi, moris, probitatis, & humanitatis tuæ occulto quodam deſiderij igniculo ſic inuitauit, vel ita potius attraxit ad honorem, & obſeruãtiam tui: vt & ſi deinceps plerosq; noſcem, qui te colerent ſtudioſiſsimè: Ego tamen fraterno excepto amore, cederem prætèrea nemini. Inde relinquebatur in me vehemẽtiſsima quædam animi auiditas, & amor certè ſingularis, vt aliquo inſigni indicio propenſam huiuſcemodi meam in te voluntatem apertius ſignificarem. Quare, cum eſſem hoc tempore libros aliquot orationum, & epiſtolarum mearum litteris mandaturus, eos volui ampliſsimo nomini tuo dicare. Paruum ſanè munus; ſed offerentis animum, quæſo, conſideres. Maiora promam, ſi, vel hoc ipſum, quicquid eſt ad te muneris mei, tibi gratum fore, cognoſcam, vel cupienti mihi aliquando dabitur aliquis otij fructus ad eas artes, quibus videor natura propen

ſior

ſior, celebrandas, interq; bonos, & præſtantes doctrina viros, recolendas. Solent præterea, Eques clariſsime, qui opus aliquod ſummis inſcribunt uiris, ideſt, tui ſimilibus, familiæ vetuſtatem, vel eius potius amplitudinem nominis, & præclaras maiorum res geſtas recenſere. Mihi verò ſuperuacaneum eſſe duxi, quiquam eiuſmodi ſcribendum eſſe ſuſpicari, quippè qui non modò proximis Ciſalpinæ Galliæ Ciuitatibus; ſed omnibus prope Europæ nationibus notam eſſe certò ſcio vetuſtiſsimam iſtam, nobiliſsimamq́, domũ veſtram, & egregia maiorum facinora. Nam, vel inclyta Beccaria familia, ex qua ſuam traxit originem Barbara præſtantiſsima mater tua, tanti ſemper ponderis fuit, atq; virtutis, tantæq́; poteſtatis, vt & patriam noſtram, inſubresq́; omnes contra fortiſsimas ſępius exterarum gentium nationes ſumma cum laude propugnauerit, & diu etiam regno potita ſit. Hoc veteres teſtantur annales, hoc facilè arguunt vetuſtiſsimæ huius vrbis palatiorum ſtructuræ, & innumera locorum opida, quibus digniſsimè præſunt, atq; dominantur clariſsimi Comites, & ampliſsimi alij ex Beccarijs ciues noſtri. Præclara verò, atq; peruetus

Cornazano

Cornazanorum domus tanta ſemper virtutis gloria, geſtarumq; rerum laude floruit apud Sereniſsimos olim Reges, ſummosq; Romanorum Imperatores, vt ab illis ampliſsima multa, quæ ipſe vidi, & legi, dignitatum, atq; ditionis priuilegia conſequi meruerit; & ab ea etiam, tamquàm ab vberrimo quodam clariſsimi generis virorum fonte, emanauit illa de Tertijs Cornazanis tamen Illuſtriſsima proles, quæ deinceps ſemper aluit magnanimos heroes, præſtantiſsimos belli duces, Illuſtriſſimos Parmæ, RegijLepidi, aliorumq; opidorum principes, & excellẽtiſsimos etiam Mediolani, aliarumq; ampliſsimarum ciuitatum Gubernatores. Quorum nominis gloriam tu Eques Clariſsime, non ſolum ſapienter hactenus conſeruaſti; ſed ſperatur fore, vt augere etiam aliquádo poſsis. Nam, vt omittam, quòd ea præditus es dignitate, quę non niſi præſtantiſsimis viris, & ex alto loco natis ideſt tui ſimilibus tribui conſueuit; nempè, vt in ea præſertim equitũ religione adſcriberere, quæ à tanto Luſitaniæ Rege ſuam trahit dignitatem; ijs etiam virtutibus excellis, vel ijs potius naturæ ornamentis ornatus es, quæ non modò propinquos, familiares, cognatos, affines,

ac

ac finitimarum homines ciuitatum ſolenni vbique præconio celebrare, ſed & fortunã ipſam cogere uideãtur te indies reddere auctiorem. Sed quanto ſemper splendore, quãtaque nominis gloria domus tua patuit hoſpitium principib. viris? Nã, & antea Parmæ in ampliſs. illo, atque ornatiſsimo palatio tuo, cui ſimile nullum habet ampliſsima ciuitas, ſummi ſæpè Pontifices, Potẽtiſsimi Reges, ac inuictiſsimi Imperatores liberaliſsimo hoſpitio inuitati, & excepti ſunt à maioribus tuis, maximeq; proxima Mantfredoti Clariſsimi equitis, parẽtis tui memoria; & Ticini quoque non ampliſsimi tantum Cardinales, & Excellentiſsimi Principes; ſed proxime etiam Serenissima Leucorum Dux magno cum Illuſtrium virorum Comitatu cõplures dies commorata eſt domi tuæ. Sed meherculè, tuo quodam iure videtur tibi fortuna fauere, & quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumq; ſit, homines ominari; qui ſoleas, quibuſcunque vales rebus (vales autem plurimis) ſtudium tuum, operam, induſtriam, laborem deniq; omnem omnibus humaniſſimè polliceri, atq; etiam deferre. Quod & mihi ipſi, cum proximè te officij, & honoris gratia ſalutaſſem domi, perhumaniter pollicitus

es

es,& detuliſti.Ego verò,pro mea ſumma in te obſeruantia,uel potius pietate,hoc tantum à te peto, & quæſo, vt hoc quicquid ē laborū,& vigiliarū mearum tibi tam amanter à me ſcriptum,atque dicatum , ſuauiſsimum accipias, meq; ipſum tui cupidiſsimum in eorum numerum adſcribas,quos æque diligis, charoſq; habes.Vale,diuq; felix viue. Ex ędibus noſtris Idibus Februarij. M.D.LXXIX.

LAZARI CHRISTIANI
CLERICI TICINENSIS ORAT. POEMATVM, ET EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD HIPPOLYTVM RVBEVM CLARISSIMVM COMITEM, ET TICINI EPISC.

SALVE, Comes, Comitum claro de ſanguine cretus,
Huius & Antiſtes urbis de uertice cæli
Miſſus ad exemplum cleri, roburq́;, decusq́;.
Tergeminos tibi Rex ſuperum concedat honores
Et triplici cingat caput, vdaq; tempora lauro.
Cur te non uenerer, Præſul, fulgentis olympi
Numina cui pandũt, peragendaq́; cuncta miniſtrant?
Threicio tibi cur non texam carmine laudes,
Sublimemq́; feram cæli radiantis ad arces?

 Palladis,

Palladis, Aonidumq; chori vos ferte petenti
Auxilium, nitidoq; ſuo Cyllenius ora
Labra lacu riget, vt laudes modulabile carmen
Præſulis has celebret plectro meliore canendas.
Antiſtes dilecte, Deo cœleſtibus auris
Dignus es, atq; tibi debentur mille triumphi.
Tu generis priſcos ſuperas uirtutis honore,
Maius & ad laudes iter æquo tramite carpis;
Nam tua Ticini probitas in ſede locauit,
Ticinum ſpecies quod dicitur altera Romæ.
Illa tibi ſacros, celebresq; parauit honores,
Et decus immortale quidem, nomenq; reſeruat.
Relligio quondam multos neglecta per annos
Viſa fuit, ſua nec ſacris reuerentia templis:
Sic tulerat (miſerùm) prælapſi iniuria ſecli
At poſtquam, celſa ſummi clementia patris
Miſit ab arce pium, cleri inſtaurator, & orbis
Qui fuit: Hinc cœpit ritus Eccleſia habere
Sancta pios, mores & relligione nitentes.
Poſuit is metas, leges & ſanxit honeſtas,
Vrbibus is ſacrum voluit caput eſſe perenne.
Hinc tua Ticini nobis perſona reluxit,
Exemplar fidei, ſpecimen probitatis, & honor;
Vt regeres clerum ualidis uirtutis habenis,
Seruitioq; Dei populos retinere frequentes,
Præcipitem & ſcires in tutum ducere nauem.
Sic, te Præſule, nunc fiunt cæliq; potenti
Debita ſacra Deo, ſanctis & dantur honores.
Conſilium, virtus, labor, & prudentia ſolers,
Sancta fides, pietas, mores candore uigentes:
Hæc pronos animos ad relligionis amorem
Adq; pios ritus clerum adduxere frequentem.
Hæc

Hæc tibi iam laudes,& præmia larga pararunt,
Et breuis emenſo perfunctum tempore vitæ
Sublimem cælo, penitusq; micantibus aſtris
Te referent, hic optatæ potieris arenæ.

AD ILLVSTRISS. COMITEM TROYLVM RVBEVM oppidi S. Secundi Dominum.

VTINAM lepidis poſſem celebrare choreis.
Egregias laudes egregij Comitis.
Augur Apollo mihi, dulcesq; fauete Camœnæ,
Inſpires animum culta Minerua meum.
Inclyta progenies Rubeorum ſanguine nata
Edidit heroas,belligerosq; duces.
Tu, Comes, egregio priſcos, ſed,vincis honore,
Nulla tibi parem poſteritasq; dabit.
Nam tibi mortales accurrunt undiq; dotes,
Dat fortuna tuis uela ſecunda bonis.
Ingenium cæleſte tuum eſt, cæleſtia cuncta
Quæ facis, aut dicis, mente agitata quoq;.
Integritas in te floret, pietatis honores,
Expetis honeſtum, nil adamas aliud.
Ergo tui ſimilis cum nemo poſſit haberi,
Iure canit laudes Calliopeia tuas.

LAZARVS CHRISTIANVS IO. MARIAE SIMONETAE, PRAEPOSITO, ET I. C.

AD xj. kal. Septembris, vel eò circiter, cum tu Ticino digreſſus eſſes, Ticinum uenit Camillus Riccius, Eques & generis claritudine, & omni genere uirtutum ornatiſſimus. Is, cum à me officij, honoris, & humanitatis gratia ſalutaretur Ticini, dixit, te quoq; pridie eius diei fuiſſe domi ſuæ. Vbi, cùm, ut fit, inter optimarum artium ſtudioſiſſimos quoſq; de litteris, ac eruditiſſimis ſcientiarum magiſtris, vel elegantiſſimis potius latinæ linguæ ſcriptoribus inter uos eſſet ſermo habitus: probabilem ille occaſionem nactus oſtenderat tibi quaſdam epiſtolas meas, quas ego ei, & Thomę item Riccio eius humaniſſimo fratri proximè miſeram, rogaueratq; ut eas perlegere uelles, uel potius iudicare: an viderentur tibi ſalis aliquid habere de Romano præſertim illo uetere. Tu autem eas cum legiſſes, abundantia quadam amoris in mè tui potius arbitror, quàm quòd res ita ferret, ſummopere (inquit) probaſti; quòd uiſæ eſſent tibi ſimilitudinem quandam cum illius habere, meritoq; poſſe propè Ciceronis ſtylum accedere. Quam mehercule prædicationem tuam eò mihi gratiorem accidiſſe putabis, ꝙ à te profecta eſt, Simoneta humaniſſimè, qui ſumma ſemper in laude uixiſti. Et uerè ut dicam, facis nihil alienum uel à dignitate tua, uel à mea etiam in te uoluntate. Nam mehercule ego te, & colui ſemper ſtudioſiſſimè, & elegantiſſimos tuos latinè dicendi ſer-

mones

mones iam diu mihi modis omnibus imitandos propoſui. Cum potiſſimum, qui uel elegantia doctrinæ, uel ſententiarum grauitate pollitius te ſit aliquando loquutus, nouerim certè neminem. Quod ipſum, qui ex celeberrimo olim gymnaſio tuo exorti ſunt tua excellentes doctrina uiri penè innumerabiles, & uerisſimis teſtantur uerbis, & probant factis. Qua de re, uelim tibi perſuadeas, gloriari me interdum honorificentiſſimum inſtitutorem te meum extitiſſe; quatenus & ego tecum te ſæpius diſcendi auiditate de litteris egi, & qui me primas artis gramaticæ litteras docuit, tuus olim auditor fuit: nec mihi quicquam fortaſſe tradidit ille doctrinę, quod non à te prius acceperit. Ego uerò etſi meo aliquid conſequutus ſum ſtudiorum labore: nihil tamen mihi umquam arrogaui, quin omnia ſemper Chriſto in primis, tum magiſtris meis accepta referri uelim. Vale, meq;, vt ſoles, mutuò dilige.

IO. MAR. SIMONETA COLLEG.
Eccleſiæ S. Theodori præpoſitus, & Doctor
Lazaro Chriſtiano.
S. P. D.

ET ſi tua uirtus me ſatis allicere potuit ad amandũ, cum præſertim à teneris, (vt aiunt) anguiculis mihi ſis cognitus: fecerunt tamen hoc proximæ litteræ tuæ, quas ad me dediſti, cumulatius. In quibus humanitatis effigiem expreſſam aſpexi, & quandam animi

tui

tui imaginem non multã, quam mihi de te ſæpè poſtquàm Ticinum inuiſiſti, & habitaſti propoſueram. Eas itaq; litteras, tùm amoris, tùm eloquentiæ Ciceronianæ, quam omnino redolebant, plenas, non ſemel tantum perlegi, uerum iterum, ac tertiò. In quibus, uelut in ſpeculo tu mihi ſacerdos timoratus, & in primis doctus haud ambiguis ſignis in dies magis, ac magis eluces. Proinde ego tibi gratias ago, & habeo, quòd tàm benè de me ſentias, & tanti amoris nõ immemor, ſpero me tibi quandoq; relaturum. Quantùm uerò ad epiſtolarum, orationumq; compoſitionem attinet, nihil breuius, nihil politius, nihil etiam clarius, & terſius excogitari poteſt. Nec mirùm; cum ad hoc te impellat Natura, ducat nobilium ciuium ſermo, trahat laus, & auctoritas eorum, qui te unicè diligunt. Effice igitur, mi Lazare, & enitere, ut lucubrationes tuæ, quotquot in hanc uſq; diem tecum hoſpitantur, quàm diligentiſſimè, atq; rectiſſimè imprimantur, dignæ enim ſunt, ut in lucem prodeant, non ſolùm honoris tui gratia, uerùm etiam ad utilitatem, & uberiorem tuorum ſcolaſticorum fructum, quos, tum moribus chriſtianis, tùm bonis litteris inſtituendos, atq; erudiendos ſuſcepiſti. Vale, meq; ut ſoles, ama. Dat. ex AEdibus D. Theodori, idibus Septembris.

AD EVNDEM PRAEPOSITI S. Theodori Carmen.

ME Reuerende tuis reuocas ad carmina, feſſum
Pyeridum muſis, aoniaq; tuba.
Edita fœlici calamo tua dogmata legi,
Omnia deliciæ, quæ mihi uiſa meræ.
Numquàm Virgilio placuit, ſic carmen Homeri.
Nec cytara flacco Pindarus ille ſuo.
Numquàm ſic Aphro puro ſermone Menander,
Non ita pelignis Naſo poeta ſuis.
Vt mihi tam lepidi, quos ſcripſit muſa libelli.
Illa tua, & pingit carmina docta manus.
Quæ ſicut incepit, ſic longo tempore pergat,
Vertice nimirum ſydera celſa petet.
Simq; licet doctos inter celebreſq; poetas
Verſatus, quales Calliopea fouet.
Non tamen has laudes mereor, nec talia quæro,
Sum nihil, eximium me facis eſſe uirum.
Ergo tibi officio pro tali plura daturum,
Me fateor, donec uita ſuperſtes erit.
Dux tibi ſit uirtus, comitet fortuna labores
Fauſta tuos: ſummum perge timere Deum.
Alter eris Cicero fama ſuper æthera notus,
Si quo cœpiſti progrediêre pede.
Sic petitur cælum, ſublimiaq; itur ad aſtra,
Sic hominis toto nomen in orbe uiget.
Sic immortalis fies, tenebriſq; carebis,
Nec tua lætheis ſcripta dabuntur aquis.

LAZA-

LAZARVS CHRISTIANVS DARIO Camillo Aſtulpho, Patricio Ticinenſi. S. P. D.

QVI perſonam ciuitatis gerunt, & certis magiſtratum muneribus defunguntur, Aſtulphe nobilis, & perite, ſi quæ ſunt ſuę fideicomiſſa, certoq; ſuſcepta iudicio integerrimè tuentur, & adminiſtrant, & plurimum utilitatis afferunt ciuitati, patriæq; uniuerſæ, & ſibi etiam dignis in Rempublicam meritis ęquabilem ab omnibus gratiam ineuntes egregiam comparant dignitatem, & decus. Hoc tu dignitatis, & laudis unus omnium tibi maximè uindicas, qui, cum multorum iam annorum decurſu, ſemper geſſeris, & adhuc geras honeſtos in ampliſſima ciuitate magiſtratus; ita te ſemper uirum iuſtitiæ, & æquitatis amantem, Reipublicæq; ſtudioſum præbuiſti; vt nemo non exiſtimet eſſe te immortalibus dignum laudibus. Quæ mehercule prædicatio uirtutis, & integritatis tuæ, res mihi ſatis idonea, uel plena potius dignitatis uiſa; quamobrem hoc ad te perferri uellem litterarum mearum, & memoriam tuam conſecrari ſcriptis, & monumentis meis. Vale.

IACO-

IACOBO ANDREAE BOLDONO Cauſſarum Oratori Inte gerrimo. S.

EOrum mos eſt,qui uel adiuuãdæ poſteritatis,uel immortalis ſibi gloriæ comparandæ cauſſa,litteris aliquid mandare cupiunt,Boldone ĩtergerrime, deligere ſibi uirum quempiam maximæ probitatis, & doctrinæ,qui ſua ſcripta reuiſat,corrigat,antequã prodeant in lucem;Ne fortè, cũ id præſtare recuſes, aut imperitiæ, aut temeritatis uitium ſubſequi aliquando poſſit.Hoc mihi ſæpius conſideranti,cũ orationem eam editurus eſſem, quæ ad undecimũ kal. quintilis habita fuit in celeberrimo Cauſidicorum Collegio,corã te ſcilicet,& ampliſsimis alijs ex Collegio uiris; Et ſi diù,multumque mecum cogitaram, quem potiſſimum deligerẽm,cuius emendationi ea fideliter,& amicè tutoque committere poſſem:Tãdem ſuccurrit in mentem re uera,te eum eſſe,qui de ea,& rebus aliis longè grauioribus uerè poſſis iudicare.Cùm potiſſimum in ea ipſa oratione de ijs tantum rebus agatur,quib.tu facilè præſtas eius profeſſionis omnes.Nam de cauſis ego apud ſolertiſſimos cauſſarum actores uerba feci.Eequis eſt in hac ampliſſima Vrbe noſtra, uel apud exteras etiam nationes,qui & longo ſtudiorum uſu,diuturna excercitatione,& ætatis maturitate ad prudentiam, non tuã ſuſpiciat in iudicijs æquitatem, ipſius non admiretur iudicij rectitudinem, & tuæ non imitari uelit integritatem uitę? Equidem, (uerè dicam) multos ipſe noui cauſidicos, erudetiſſimos uiros, & ingenio

C ſaga-

ſagaces,non paucos Aduocatos,Complures,& multorum patronos:ſed probiorem hominem, prudentiorem uirum,ſanctiorem te ullum non modò noui, ſed appellari nè audiui quidem.Quamobrem tanta ego tua fretus probitate, & humanitate confiſus mitto ad te orationem ipſam, quã,uelim, perlegas, reuiſas, & ſicubi fiet opus,corrigas,cõmutes, ac denique limatulo illo iudicio tuo totam perpolire uelis.Sic enim ſtatuo,quicquid ego auctore te, uel tui ſimilibus ſumma prudentia uiris,memoriæ hominũ conſignabo,id omnes homines æqui, bonique conſulturos eſſe.Tum mehercule eg,opro eo quanti te facio,quicquid feceris,approbabo. Vale, meque, ut ſoles,mutuò,dilige.Datæ ex AEdib. noſtris octauo kal.Sextilis.

AVCTORIS ORATIO PRIMA HABITA TICINI IN AMPLISSIMO Ticinenſium Cauſidicorum Collegio

HABVIT VESPASIANVS MEDIOBARbus puer egregius & expectationis miræ.

VEREOR, Ornatiſſime Cõſeſſus,& meritò quidem uereri poſsum,ne uobis arrogantiæ nomine ſim iure reprehẽdendus,quippe qui octo nundum annos natus, uixq; abecẽdarias litteras egreſſus, in hanc cuiusui s eloquentiſſimi Oratoris digniſſimam ſedem aſcenderim ad dicendum dè rebus potiſſimum arduis,atque difficillimis, apud eos præſertim uiros,penes quos omnimodam Iurisperitorum,Philoſophorumque ſcientiam eſſe certò ſcio. Et mehercule ueſter hic tantummodò grauiſſimus doctiſsimorum hominum, præſtantiſſimorumque uirorum aſpectus tantùm mihi affert pudoris,ut uix ſuccurrant in mentem,quæ mihi dicenda propoſueram:& niſi mè conſolaretur aliud,non parum addubitarem de progreſſu Orationis meæ.ſed cũ recordor,quanta omnium attentione, quamque patientiſſimis auribus auſcultastis alios antea Cõdiſcipulos meos; conſuetæ humanitati ueſtræ cõfiſus, nullos prætermittam conatus, ut onus aſſumptum aliquo animorum ueſtrorum oblectamento,uel meæ etiam cũ laude perficere poſſim. Cùm prẹſertim hoc

ipſum uirib. ſanè meis impar,ut libentius, audaciuſ-
queſubirem excitauerit me, tũ cohortatio Inſtitu-
toris mei religioſiſſimi viri,& eruditionis propè ſin-
gularis;tùm memoria Maiorum meorum,& præci-
pua quondam Polictonij Mediobarbi amantiſſimi
patrui mei,Regijque ſenatoris ampliſſimi, cuius tã-
ta fuit eloquentię uis,& poteſtàs, tanta eruditio, tã-
ta uerborum, & ſententiarum grauitas,tantus etiã
in dicendo lepôs, ut ab Hiſpaniarum Rege, & ab eo
Rege, cui ſimilem ſœcula nnlla dabunt, fuerit ad
res grauiſſimas quasque legatus, & ad Burgondiæ
ſenatum præcipuè leniendum,quem ampliſſima ſui
nominis gloria, nefario prius excluſo Senatore, ſa-
cratiſſimis legib. paccauit. Excitauit me,inquam,&
indies excitabit tanti uiri,& patrui mei recordatio;
cuius ego ueſtigia modis omnibus imitari conten-
dam.Vtinam Dij immortales tantum mihi præſta-
rent àuxilij,qui poſſem in amplisſima Senatoris di-
gnitate conſtitutus,cum me uirum præſtare,ut faci-
lè uideretur totius Europæ hominibus reuiuiſcere
memoria Clariſsimi,& præſtantiſſimi uiri. Illiùs, or-
natiſſime Conſeſſus, ſi qua eſſet in me minima elo-
quentiæ pars, optimè poſſem uobis ſuadere, quod
uellèm.:Nam cùm ijs de rebus ſim uerba facturus,
quibus præclarè uos ornati eſtis,& in quib. quoti-
die uerſamini,quaſq; melius me optime noſtis om-
nes;quanta dicendi uis,quantaque exprimendi ue-
nuſtas mihi foret opus,ut id uel aliqua ueſtri aſpec-
tus iucunditate,uel meo etiam cum decore prędſtare
poſſem. Hoc me tamen conſolatur,quòd ſi expecta-
tioni ueſtræ,minus, quàm par eſt, ſatisfeciſſe conti-
gerit;excuſabit me mea pueriłis ætas, tùm benigni-
tas

tas animorū ueſtrorū, qua potiſſimū fretus aggrediar, de ampliſſima ueſtra omnium dignitate, ueſtroque officio dicturus.

Qui in Rethorū præceptis fuerint aliquādò uerſati, optime norunt ciuium familias, genera artium, officia, magiſtratus, ipſas denique urbes laudē, gloriamque ex uetuſtate nanciſci. Summis enim laudibus extollunt uirtutum ſtudioſi uetuſtiſſimas illas, & omnium doctrinarū inuentrices Athenas, in quibus floruerunt tot clariſſimi uiri, & ſcientiarum magiſtri, de quib. plena ſunt ueterum monimenta, plena exemplorum uetuſtas. Laudamus Romam, Romanosque ipſos, tamquā uetuſtiores Europæ nationes, Troianoque uel clariſſimo à ſanguine ductos. Laudant & aliæ gentium nationes noſtram hanc ipſam urbem, ob in Deos, & homines pietatem appellatam Papiam, quòd eam uetuſtiſſimorum, præſtantiſſimorumque Lōgobardorum Regum domiclliū, ſedemque extitiſſe, uel in Annalibus proditum legerunt, uel patrum memoria creditū recèperunt. Hoc me à multis audiſſe, cùm ab ipſis olim adoleſcentiæ meæ primordijs aliquas peragraſſem Italiæ Regiones, prçclarè memini. Sed noſtra hęc urbs aliquo mihi ſi foret celebranda præconio, quid eſſet, quod eā ampliſſimam, ampliorem reddere poſſet, aliud, quā tot, tantorumque beatiſsimorum noſtræ ciuitatis Antiſtitū ſanctiſsmas actionės, diuiniſsimaſque animorum dotes cōmemorare? Qui ob eximiā uirtutē, morum integritatem, ſummam religionis obſeruātiam, tollerātes ſemper quoſque labores, ut in Deū, Sanctoſque omnes pios hominum prouocarent affectus, in cōcilio Cœleſtium meritò ſunt collocati; qui

qui inquam, & ſanctitate uitæ, & ſacratiſsimis uerbi Dei concionibus, tantum præſtiterunt, ut apud maiores noſtros incrementi plurimum religio ſemper ſuſceperit, indeque meruerit Papiæ nomen ſortiri; Hoc facilè arguunt vetuſtiſſima, & īnumerabilia pene noſtræ urbis templa, & anguſtiſſima ſimul Monachorum, Monialiumq; ab illis ſepta Monaſteria. Sed quid ego cōmemorem eos integerrimos uiros, quorum uirtus non ſermonib. exponenda, ſed comprobanda potius eſſe operibus? Vel utinam poſteri omnes eo diuino afflati numine illorum ueſtigia ſequerentur; quo Hyppolitus Roſcius Comes clariſsimus, Pontifex noſter, omni honorum gradu digniſsimus, maiori indies Ciuiū admiratione, & gregis ſibi crediti in religionem progreſſu, tales ſibi diuinitus ad imitandos proponit; Huius quoque tanta probitas, tanta eſt religio, tanta maiorum imitatio, tàm optimæ uirtutis actiones, ut & ipſas Conſecrandas putē memoriæ hominum ſempiternæ. Prætereo, (licet mihi ad rem paullo ſuperius redire,) uenerādas multorum martirum, ſanctiſſimorumque uirorum reliquias in hac, tamquam in altera Roma honorificentiſſimè conditas, quæ & ipſæ ciuitati noſtræ non mediocrem afferunt religionis ſplendorem. Miſſos facio pulcherrimos multos, præcipuosque noſtræ vrbis ornatus, ut pote innumerabiles, munitiſsimaſq; & miræ altitudinis turres; clariſsimorum uirorum ampliſsimas Palatiorū ſtructuras uetuſtiſsimas multas, per illuſtresq; Ciuiū familias; Templorū certè ſublimium, & ſacratiſsimorum multitudinem, & mirificam illorum marmoris ſtructuram; Antiquiſſimū & à Carolo Magno, Gallorum Rege īſtitutum litte-

rarum Gymnaſium; Excellentiſſimos legum, bonarumque artium Doctores, pulcherrimum vrbis ſitũ; uberrimos terræ fructus: Optimam aëris temperiẽ, Ticini fluminis amœnitatem, & mirum eius in modum ſupra pontis artificium. ò quæ tranſitus, & deãbulationi delectatio? qui ciuiũ, & ſcholaſticorũ per illum animi gratia concurſus? Verum non eſt propoſiti loci quicquam de ampliſſimis urbis noſtræ laudibus, ac nè minima quidem dicendo attingere. Propoſitum illud erat, uelle me ratione, uel excplis probare, res hominum uſu receptas, eò maiorem ſibi laudem promereri, quò antiquis eas eſſe, ita fuerit comparatum Naturæ. Quod cùm ita eſſe, uel ex plurimis aliis etiam rerum argumentis ſatis conſtare poſsit; quanta uos prædìti eſtis dignitate, qui & in uetuſtiſsima, regiaque nati eſtis Ciuitate, præclaris natalib. & quorũ officia à Chriſto uſque noſtræ carnis humanam induto naturam, traxerunt originem. Cum enim Chriſtus noſter Ieſus, ſecundum temporis plenitudinem, quam diuini conſilii inſcrutabilis altitudo diſpoſuerat, reconciliãdum auctori ſuo Naturam generis aſſumpſiſſet humani; Tunc Notarios inſtituiſſe uidetur, cum ſanctiſsimos, quos in hoc ſeculo habuit ſermones; uel facta potius, (Cœpit enim facere, deinde docere,) à Doctiſsimis, ſanctiſsimisq; uiris tabulis notari, conſcribique uoluit. Euangeliũ enim, uel Dei potius uirtutem, tamquam rem notatu digniſsimam, præclarè S. Matheus, Marcus, Lucas, & Ioannes piè conſcripſerunt, & ad noſtram eruditionem nobis annotauerunt. Quod ſi ueſtro hoc officio functi ſunt uetuſtiſsimi, & ſanctiſsimi uiri; quorum ſimiles eſſe debetis, latiſsime patet, quanta dignus eſt laude, qui hoc ipſum iuſte, & omni dolo pro

cul

cul exercet.Contrà uerò iniqui,(ſi qui ſunt, quos ego nollem,) & ſuæ non habentes rationem cõſciẽtiæ,quantam mereri pœnam iudicetis? ſunt enĩ nec pauci fortaſſe,qui omnia non officii,ſed gratia quæſtus agunt.Sed hæc qui faciunt,ius uiolare uidentur humanæ ſocietatis, & maximæ dignitati ueſtræ repugnare.Eſt enim eius prudentię,eiuſq; generis claritudinis,qua uos excellitis,ornatiſsime Conſeſſus, uerã laudem non in diuitiarum copia,ſed in uirtute poſitam exiſtimare. Hos uerò Collegij magiſtratus partim à Patribus ueſtris tamquam ampliſsima patrimonia uobis relictos,partim uirtute ueſtra acquiſitos,ſic gerere poteſtis,ut ſi nulla rei familiaris cura præpediti,otij ſaltem euitãdi cauſſa,honeſto aliquo exercitationis genere vos uelletis implicare.

At multos patimur,dices, ſcribendo labores,
Nec charta in ſcriniis noſtri non plena liquoris.
Et Priami ſunt hic noſtri ſua prœmia lucri.
Quare agè nos blandis noli tu paſcere uerbis.
Promantur nobis nummi,tibi uerba repone.

Fateor equidem cum in magna Collegij huius adminiſtratione,tũ in agendis multorum cauſis, oportere uos multa ferre incommoda , multas tollerare curas,plurimos pati labores, quæ ſuum quæq; præmium meritò poſtulant.

Attamen haud tantum mentem mortalia tãgunt
Munera,uel nummi,nullam quæ ferre ſalutem
Poſt obitum ſoleant animæ licet ipſa iuuare
Mortales hominũ uitas,& corpora poſsint.

Mementote nos homines ea lege natos, ut homines quã maxime uelimus iuuare. Sic enĩ Plato Architæ Tarentino cũ ſcriberet,quòd,inquit,moleſtè feras à

publicis tuæ Ciuitatis occupationib. te liberare nõ poſſe;cogitare debes,nullũ noſtrũ ſibi ſoli eſſe natũ ſed Patriæ.parentib,amicis, omni denique hominũ generi. Quare ſic ſtatuo uos doctiſſimos quosq; uiuos,& fortunæ bonis ornatiſsimos, promptiſsimos etiam eſſe debere ad bene de alijs promerẽdum. Vituperantur enim,qui tamquam inanes belluæ communem ſocietatem aſpernantur,arbitrantes ſibi tãtum eſſe natos;Nec naturam ducem ſequi uolunt, quæ nos ſociabiles genuit;ut officiorum mutatione communes utilitates in medium afferre deberemus Quam obrem ueſtro hoc exercitationis genere prodeſſe quamplurimis,& conſilio iuuare laudabile ſẽper fuerit,& conſentaneum etiam naturę. Sed uellẽ, hoc ego loco bona cum uenia ueſtra pauca quædã de celebri hoc magiſtratu ueſtro dicere,quę nõ niſi gratiſsima fore putaui; neq; miremini, ſi nullius ipſe perit⁹ rerũ intelligentiæ,uos omniũ ſcientiarũ peritiſsimos de re ueſtra,atque ardua in primis auſus ſũ admonere.

Mementote diuum Auguſtinum Theologorum omnium facilè principem,cunctisque Eccleſiæ Doctoribus, (ni fallor,) doctiorem hnmaniſsimè de ſe hæc uerba protuliſſe.Ego, inquit, Epiſcopus tot annorum à Collega, nedum anniculo paratus ſum edoceri. Præterea peccare quidem multis contingit modis, unde apud doctos factũ eſt tritum ſermone prouerbium.

Vno namque modò bon⁹ eſt,multiſque nefandus. Et cum Chriſtifideles ſimus,cum Chriſti Eccleſia dicere debemus, omnes nos peccare; omnes pariter

Dei gratia indigere, neminemque in terris omni ex parte perfectum poſſe omninò reperiri. Quamobrẽ nemini mirum uideri debet, ſi & uobis interdum in ipſo magiſtratu acciderėt aliqua cõmittere, de quibus liberè quiſque poſsit admonere. Cum præſertī, qui de re aliqua generaliter tantum ſententiam ſuã dicendo complectitur nullius priuatim famam lędere uideatur. Vt igitur unde digreſſa erat, reuertatur oratio mea. In primis, breuiterque mihi de ijs commonendum putaui, qui cum nè prima quidem gramaticę rudimenta nouerint, (Sit habitus honos eruditis,) ad tanta notariatus inſignia contendunt aſcẽdere, & grauiſsimas aliquando cauſſas agere; cũ ſibi quiduis aliud conuenientius eſſet, quã ſui ſcientiæ expertes officii, grauiſſimum onus illud ſubijſſe.

Nam cũ inſignis hic magiſtratus ueſter circa difficillima quæq; uerſetur, non deberent illum profiteri, niſi homines litterarum præſertim ſtudioſiſsimi, ſolertes, & ingenio ſagaces, uel quales potius multi deligi poſſent ex ornatiſsimo conſeſſu ueſtro, quorum quidem nomina, ne alijs uidear iniuriam afferre, non mediocri n eo cum mœrore ſilentio cogor præterire. Quid plura? uos ſolertiſsimi cauſſarum actores, qui iuſtitiam, id eſt conſtantem unicuiq; tribuendi, quod ſuum eſt, uoluntatem ſeruare profitemini, cur tamen eiuſdem ſæpius de inſtrumenti materia inuicem contenditis? (hoc enim ſępius accidere uel clientium ueſtrorum crumenæ facilè poſſunt affirmare;) id ego pariter putarim eſſe cauſſæ, quod illorũ imperite ſcripta uult ex uobis ſolertiſsimus quilq; ſuo impetrari iudicio: hinc magnas controuerſias contexitis; hinc innumerabilia clientulorum

diſpendia,ſollicitudines,inimicitiæ,angores,ne dicã veſtros quoq; animorum cruciatus; cũ & uos conamini accerrime ſuam quiſque tueri opinionem.

Quæ mala tanta,& diuturni ſæpè plena diſcriminis,ne acciderent,maiores olim ueſtri longe ĩ poſterum proſpicientes,ſapienter prouiderunt.

Nè quis,niſi legitimo natus matrimonio , bona etiã vitę fama,ſanctis moribus,& ſatis etiam eruditus ad tanti oneris officium poſſet adſpirare. ò grauiſſimas optimorum hominum, ſapientiſſimorũq; uirorum ſententias; ò ſaluberrima poſteritati cõſilia, digna commendari monimentis hominum ſempiternis:ea,ſi uobis,ut debetis,ad imitandum propoſueritis,ſperabo fore,

Vt pauciores indè lites exoriantur,minuatur litigantium numerus, & infinitus forenſium rerum labor.Veſtrum ſit igitur, Magnifici conſules, ceteriq; huius uenerandi Collegij præſides, quantum poteſtis ſtudium adhibere;nè quid tale ampllus,(ſi tamẽ actenus peccatum eſt aliquid,)in hoc magiſtratu ueſtro peccetur.Tales enim & ſui periculum faciunt,& uobis sunt dedecori,& uetuſtiſſimæ Ciuitati noſtræ ignominiam pariunt.

Sed ad alia uenire cupienti,& maioris fortaſſe põderis,concedite,quæſo,ornatiſſime cõceſſus,qui humanitate ueſtra cetera cõceſiſtis,ut de hoc ipſo magiſtratu ueſtro liberius dicam,quæ ſentio.Sed nollẽ ego uos perinde agere,atque ęgroti faciunt,qui medicos quidem diligenter audiunt, ſed nihil agũt eorum, quæ præcipiuntur ab illis.

Vobis ego cupio,ore loqui docto,uos uirtutẽ oſtẽdere factis. Cũ præſertim uobis non uacet doctiſſi-

mum uirorum exempla exactionib. ciuilibus, publiciſque certaminibus perſpicere, eaque cõtẽplari non uerbis, ſed factis repræſentata. Agitè igitur, Conſeſſus ornatiſſime, uoſq; potiſsimum litigantiũ cauſſas tuendi profeſſores, credo equidem illud ſẽper præoculis habere, nè quid contra æquitatẽ Contendatis, cũ fundamentum perpetuæ cõmendationis, & famæ, ſit Iuſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Soleo tamen uehementer mirari, cur multorum aliquando cauſſas maximo cum illorum detrimento tandiu prorogetis, longa nimis contexta ſerie procraſtinationũ? An iura, an leges fortaſſe sũt inter ſe contrariæ, quæ uobis tantas ferant cõtẽtiones? Neminem arbitror hoc poſſe ſuſpicari, qui fuerit aliqua particeps mentis ratione; cũ præſertim eas inuenerint ſapientiſſimi uiri, probauerint, cõfirmauerint, eaſdemque cuſtodiri mandauerint Magnanimi Herôes, Præſtantiſſimi Reges, ſummiq; Imperatores, ad cõciliandas hominũ inter ſe uoluntates, &

Ius ipſum, quid eſt aliud, quã rectè uiuendi norma legib. tradita, atque præſcripta? quam qui tenẽt ſoli diues maximas res, maximeq; optabiles aſſequuntur: quippè qui quotidie magis in ſua Ciuitate chari ſunt, atque honorati, Inter ignotos, clari; inter homines, Viri; inter uiros, Herôes, quales fuiſſe legimus Thebis Epaminundas, Athenis Ariſtidem, Romæ uerò Camillum, Fabios, Decios, ſcipiones, Catones, innumerabileſq; alios uiros probitate, ac ſapientia præſtantes. Celebrantur præterea Lacedemoniorum leges à Lygurgo latæ, Athenienſium à Solone; laudat Chretheſium leges Plato, Carthaginẽſium Iſocrates, Romanas uerò, uel noſtras potius

Poly-

Polybius anteponere omnibus non dubitat;Has,inquam,ſapientiſſimi uiri ſummopere celebrarunt,ꝓptereà quòd oprimè preſpexerunt,primos illos legũ Conditores ijs ipſis legib.& optimis eloquentiæ artificiis tantùm olim præſtitiſſe,

Vt diſperſos homines ferarum more per agros, Syluaſq; deerantes in maximos Cœtus congregarint,congregatos docuerint,deinde muris ſepſerint urbes, ità ut rudes homines fera illa, agreſtiq; uita mutata ciuilem cultum, & humanam ſocietatẽ cœperint agnoſcere, mutuas animorum gratias inire, & ſãctiſsimas colere amicitias.Quod ſi maiores prudentiſſimos maximè uiros imitari debemus,cogitet quiſque ueſtrum,aduerſariorum cõcordiam potius quàm litis exorſum,ex quò tot, tãtaq; illis detrimẽtà eueniunt,ut ſi uellem uel minimam illorum partẽ recenſere,tempus me deficeret,nec oratio ipſa dicẽdo finem inueniret.

Deum immortalem,quis ignorat litigantium calamitates? Diuites pauperrimi fiunt,hilares mœſtiſſimi,àccurati deſides,auari liberales,& qui optatiſſimo libertatis bono fruebantur, miſerrimam ſubeũt ſeruitutem. ò peſsimas hominum ruinas? ò uix tolerabiles animi cruciatꝰ? Mitto locupletes,& honoratos uiros, quibus licet ęquiore animo hæc ferre poſſent,uix tamen tolerabilia uidentur.

Venio ad pauperes,uiduas,pupillos, ceteroſq; generis eiuſdẽ;qui ſi quando ſuæ actorem cauſſæ domi conuenerint,uidere eſt poplitem in terram uſq, flectere plurimam illi ſalutem dicentes, & nudo capite perhumiliter petere, quid ſua fuerit actũ de cauſſa, ò miſſerrimam pauperum hominum litigãtium preſer

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſertim conditionem: dignam profectò, cuius parietes ipſi miſereri uelint,& axilium ferre ſi poſſint.

Cauſidicùm cur non mortalia pectora cogis? O ter quaterq; beati prioris illius ſœculi homines, quando nec ipſius litis nomen erat inuẽtum, nec homines litigare conſueuerant. Litigij inuentio hominum eſt, non deorum, & ideò plena ĩperfectionis, plena calamitatum. Sed hęc ipſa tantas non haberet uires, ſi cauſſarum quiſq; actor mallet partium conuentioni conſulere, quàm litem excitare; nec callida legum interpretatione cauſam ſemper redigere in pernicioſiſſimas litigantium ruinas. Verum ſi qui fortè tale quicquam committunt Iudicis ſententiã minimè præteribunt. An nón hoc monuit Vates Sãctiſſimus,& ſpiritus almi cantor, redde domine, inquiens, retributionem ſuperbis, loquuntur etenim iniquitatem, operãtur iniuſtitiam, uiduam, & aduenam interfecerunt,& pupillos occiderunt: quę quoniam de uobis minimè dici poſſe cupio maximè, uos diligenter attendite.

Nè ab officio umquã longius progrediamini, quã vobis præſcribit ratio conſcientiæ, in cauſſarum uerò controuerſijs, præbeatis uos placidos potius pacificatores, quã ulli adhibentes contendendi uehementiam, aut iram, quæ diſceptationibus aſperitatẽ ingèrere poſſint, quin pótiùs cum ea parte, quæ maiori tibi iniuria affici uidebitur, ità colloqueris, ut ipſe quoque eadem laceſſitus iniuria indignationiſque particeps uideare: dèindè feceris omnem conatum, ut illius tibi animum placabilem reddas; doce biſque.

Nihil laudabllius, nihil magno,& præclaro uiro dignius

gnius placabilitate,atque clementia.Quod ſi res adeo difficilis aliquando foret, ut per te paccari nullo modo poſſet, ibi conare, aut optimos amicorum, aut optimorũ placidiſſimos adiſciſcere,qui minime in diuerſum tendentes,ſed ſumma prudentia prædi-ti maxime adiutores ſint negocij peragendi,Hæc, & & alia id genus multa prudentiſsimus quiſque ueſtrum præſtare poteſt,nè ullum exiſtat litigium. Etſi qui uos conueniunt, (quod fieri ſolet ſæpiſſimime,) ea de re conſilium petituri; ſic illis conſulere poteſtis. Amice, uideo fore, ut hæc tua cauſſa difficilem ſit habitura exitũ; licet enim uidearis omnimodam iuris habere æquitatem;aduerſarius tamen hoc etiã ſibi facilè ſuadebit, et ex utraque parte diuturnæ poſſent excitari contentiones:Hinc grauiſſimi ſumptus:Hinc ſollicitudines,mœrores,innumeri cruciatus. Quare malo tibi conſulere, ut aliquo etiam cum diſpendio concordiam, conuentionem petas.

Sed incidunt ſępe tempora,cum id, quod honeſtũ eſt,ſeruari uix poſſit,aut difficillimum ſit;hoc in controuerſijs ſibi uendicare conantur amici, quib.etiã contra æquitatem non obtemperare, nefas ſibi eſſe putant plerique, ſimiles Themiſtoclis, qui cuidam pronuntianti,optime ipſum Reipublicæ præfuturum,ſi ſe omnibus æqualis prębuiſſet,abſit,inquit, ut ego tali inſideam ſolio,undè à me nõ plus ad amicos, quàm ad alios perueniat. ò peruerſam perditi hominis ſententiam Reſpublicas priuato fauori, ac ſtudio ſubmittentis. Vos uero tantum dabitis amicitiæ,ut ueram amici cauſſam eſſe uellitis.Ceterum inhoneſtę amicorum petitiones ſumma honeſtate reiciendæ ſunt. Et qui ſecus faciunt, nõ minus eos, qui

agunt

agunt iniquè, uel lucri, uel amicitię gratia tueri contendunt.

Quàm qui cauſſam iure defendendam petunt. Quamobrem ſedulam omnes nauate operã, ut omni prorſus hominum generi ſatisfacere poſſitis.

Quicquid à uobis ſine detrimento cõmodari poteſt, id tribuatur uel ignoto. Nam mehercule, nihil libero homine dignius, nihil præclarius, & ipſius naturę hominis accommodatius, nihil deniq;, quod maiorem laudem afferre poſſit, quàm ſibi beneficio deuinci, (ſi fieri poſſet) omnes hominum uolũtates.

Conſulite igitur uiduarum defenſioni, pupillorũ utilitati, & ciuium etiam omnium, nobiliſsimorumque uirorum paci. Hæc magnorum hominum, proborumq; uirorum ſunt, hęc apud maiores ueſtros factitata, hęc genera officiorum, qui præſtabunt, cum ſumma huius Collegij laude & utilitate magnã ipſi gratiam conſequentur & gloriam.

Conſiderate interdum, nùm pauperes contemnatis, nũ uoluptas aliqua corrumpat animos ueſtros, nũ praua aliqua conſuetudine cõtaminari poſſit collegium ueſtrum, Sit hæc ſumma ratio, ſummaq; ſapientia ſummorum huius uenerandi Collegij præſidum, paupertati in primis conſulere; collegas omnes æquitatè continere. Hæc enim ſi feceritis, numquã ab officio diſcedetis, numquàm uos fallet, numquã labetur prudentia ueſtra. Et Deus ter optimus, maximus, uobis, qui ſanctiſſimè uos geſſeritis in terris, æterna præmia largietur in cœlis. Dixi

Accepi

IACOBVS ANDREAS BOLDONVS Lazaro Chriſtiano. S.P.D.

ACcepi incundiſſimas litteras tuas, humaniſſime Lazare, unà cum oratione habita nuper apud ampliſſimos collegas noſtros, me quoq; cum illis aſſidente. Nihil ea melius perfici umquam, aut excogitari potuit; litteris uerò tuis nihil etiam humanius, nec ſuauiores unquam me legiſſe memini. In his ijs admirabili quadam dicendi modeſtia rogas, ut orationem ipſam legere uelim, ac emendare arbitratu meo: propterea quòd inter multa, quæ diſtinctè, ornateq; dicta ſunt à te, uel à Nobiliſſimo illo auditore tuo, egiſti etiã præclarè de integritate agendarum cauſarum, in quibus me agendi quidem ſeruata ſemper æquitate uerſari ſcribis. Quo loco, quas in me uel uirtutis, uel integritatis laudes benignè nimis conferre uoluiſti, primùm non agnoſco: Deindè, me planè nego ea eſſe humanarum præſertim litterarum eruditione, ut elegantiſſima ſcripta tua corrigere uelim, aut debeam: quin & ſtudioſiorem me uirum aliquem, prudentioremq; deligere potuiſſes, cuius lectioni ea ipſa cõmitteres. Sed tamen cum me ad id efficiendum tam humaniter rogoueris, nê uiderer omnino, uel modeſtiæ tuæ diffidere, uel dedignari potius excellentis ingenij tui fructus deguſtare, legi, perlegi eam ipſam orationem tuam; perbellè omnia, nec in ea quicquam reperi, quod emendatione dignum poſſit iudicari: Quin admirabili quodam eloquendi artificio, ſummaque breuitate omnia complexus es, quæ de Notariorum dignitate, quæq; de illorum officio dici poſſunt. Quã-

E obrem

obrem non eſt,quod mihi agendum putem, aliud, niſi,ut de propenſa admodum iſta tua in nos uoluntate, tibi quam maximas gratias agam; quod aliquot iam annos tot tantoſq; perpeſſus es labores,in honorem Collegij noſtri, complures enim in eo orationes tuo ſub nomine habitæ ſunt. Nunc demum aliqua cum illius laude, & nominis tui ſplendore in lucem editæ. Vale.

LAZARVS CHRISTIANVS
Ioanni Bouulo, Propoſito, & Epiſcopi
Ticinenſis Oeconomo. S.P.D.

ETSI, certò ſciebam parentem naturam rerum nihil umquã humanius te,aut benignius certè produxiſſe, qui ſoleas officijs tuis uincere omnes hominum cogitationes. Tanto tamen luculentius perſpexi ex ijs litteris,quas ad me proximè dediſti propenſi amoris, & beneuolentiæ teſtes in me tuæ; Vt planè mihi grauiſſimo ingratitudinis crimini perpetuò obnoxius eſſe uiderer: niſi frequens, atque præclarum iſtud tuæ liberalitatis exemplum, uel memoriam potius meam meritorum tuorum, ſcriptis uellem perpetuò celebrari,& commendari meis. Quòd ſi quando præterea fiet,ut tibi uiciſſim aliqua in re præſtare poſſim ſtudium, & induſtriam meam, uidebis profectò quantoperè te diligam,ac uehementer obſeruem. Cęterum,me in ſummo dolore, quem ex rebus meis capio, maximè conſulatur ſpes; quòd breui ſuſpicor fore, ut infringatur hominum improbitas, & debilitentur cogitationes inimicorum, & proditorum meorũ.

A te

A te omnia ſumma in me ſtudia, officiaq; expecto, rogoq; uehementer, ut æquitati cauſæ meæ magnus cumulus accedat commendationis tuæ; & quantum de me odij, atque ultionis cum Reuerendiſſimo Præſule noſtro conferre perpetrarunt maleuolentiſſimi obtrectatores; tantum tu cum illo mecum gratiæ, beneuolentiæq; concilies. Vale.

AD FRANCISCVM AVEGNIVM Curiæ Epiſcopalis Ticicenſis Auditorem.

COelicôlum rex, & magni regnator Olympi,
Optima cui mens eſt, & noſtri cõſcia recti,
Seruet te, Avegni, Iudex æquiſſime rerum;
Iuſtitia ſimilem cui ſęcula nulla dedêre,
Nec pietate dabunt unquã; quem nulla uoluptas,
Nullaq; delectat fallaci gloria fuco,
Munera nulla leuant recto de tramite legum.
Avegni, meritas tibi cur componere laudes
Non nitar, nitidisq; caput redimire coronis?
Te ſummis celebrata uirum tua candida uirtus
Laudibus extollit, celebreſq; parabit honores.
Nullus te turbat furor exitialis habendi;
Dum cauſas aperis legum, uel iura retractas,
Omneq; deſpicis immundum, cœleſtia tendis.

AD HIERONYMVM MONTIVM Mediolani Senatorem ampliſſimum.

ETsi, eorum, quæ ſunt præcipua in litteris, parum hactenus deprompſiſſe me ſentio, & ueras diſciplinas non niſi per tranſennam uidiſſe uideor: tamen exercitationis cauſa, pauca quędam, neq; tibi, ut arbitror, ignota proximè ſcripſi; maximeque ad illuſtres, uel ſplendore nominis, uel præſtanti doctrina uiros. Optabamq; uehementer, ut eſſet etiam aliquid ad te, quo teſtatum apud animum tuum relinquerem, & quàm flagranti te ſtudio colerem, & qua etiam religione conſeruarem mihi ſuauem memoriam nominis tui: ſed me uel eius Senatorij nominis maieſtas, uel amplitudo dignitatis, uel eius potius præſtantia eruditionis, quæ te iampridem quiduis aliud fortaſſe cogitantem, eo uſq; peruexit; ut in ampliſſimum ordinē meritò aſcriberere; ac Senator exiſteres, cuſtos Rei publicæ, propugnator ſalutis; ita me ſemper ab officio detteruit, ut non modò conſentaneum perſonę argumentum; ſed ne genus quidem litterarum ueniret in mentem; quod te potiſſimum uelle; uel te potius delectare poſſe conſiderem. Itaq; numquam hoc etiam tempore auſus eſſem hoc ipſum, qualecumq; eſt, ad te litterarum dare; niſi me Camillus Scaphenatus, uir, ut noſti, præſtantiſſimarum rerum, atq; artium ſcientijs apprimè ornatus, & tui certè ſtudioſiſſimus, cui proximè ſcripſi dę optimo illius genere dicendi, hortatus eſſet pleno gradu, planeq; affirmaſſet, nequaquam diffidendum eſſe prudentiæ, humanitati, modeſtiæ tuę. Quod quamquam facilè adducor, ut ſperem, cum totus

tus humanus eſſe uideare: tamen quid ego homo ſummiſſo loco natus, terræ filius, ingenij perpuſilli, nè mediocri quidem ſcribendi artificio excultus ſcribere poſſum dignum præſertim te, Senator ampliſſime, cuius excellentem probitatem, præſtantem doctrinam, ſanctiſſimos mores, religionem, pietatem, fidem, iuſtitiam, æquitatem, ac optimam adminiſtrationem huius Ticinenſis ampliſſimę ciuitatis ſatis prædicant doctiſſimi, & optimi quique? Hoc planè eſſet adderę aquam mari, ſydera cęlis, noctuas Athenis. Quare eam mihi rationem ineundam eſſe duxi, ut de tuis diuiniſſimis laudibus quicquam nolim arroganter fortaſſe ſcribere, quas equidem melius feciſſe uidebor ſilentio prætterijſſe: tu me, ſi libet in eorum numero adſcribas uelim, quos æquè diligis, charosq; habes. Vale.

AD ALPHONSVM BECCARIAM Comitem Ticinenſem.

INclyta priſcorum Comitum ſtirps florida bello,
Quæ noſtris dominata fuit, BECCARIA, rebus,
Inſubres cum gens uaſtaret barbara quondam,
Vna potens armis Truculento Marte repreſſit,
Vna ſibi, patriæq; parauit cara ſalutem.
Italiæ tandem concordi pace ſequuta:
Cum nihil horrendi uaſtet diſcordia belli,
Nec perterreat armorum furialis erinnys;
Sed latos homines noſtri camposq;, domoſq;
Iam tutò teneant nulla formidine capti:
Hac Comes, ALPHONSE, & nulli pietate ſecundus
Ortus es, aut potius ſummi de uertice cœli,
Quem

Quem gremio fotum docuit penetralia rerum,
Quæ hauſerat ipſa Iouis cerebro ingenioſa Trito-
Laurea, nã, pridẽ iuris cõceſſa corona eſt, (nis.
Veridicaſq; tibi leges natura dicauit,
Lauricomuſq; Comes patrum decreta reuiſis,
Et cauſas aperis rerum, ſecreta penetras,
Dum celſis operam rebus properantibus horis
Confers, atque animus cœleſti ueſcitur aura.
Alphonse, es Comes, Herois quoque nomine di-
Ingenio, uirtute, & alto ſaguine priſco. (gnus

AD CAROLVM BORROMAEIVM Mediolani Cardinalem ampliſſimum.

PRAECLARVM ſanè, atque peregregium hoc uirtutis, officij, religionis, & ſanctitatis tuæ ſpecimen habes, Borromæie Cardinalis, Quòd non modò propinquos, ac finitimarum, aut pios, aut religioſos homines nationum; Sed eos etiam, qui longiſſimè abſunt, quique te norunt tantum nomine; flagranti quodam, peneq; incredibili pietatis, & deſiderij igniculo inuitas, allicis, trahis ad amorem, & obſeruantiam tui; ſic, ut non moleſtè ferant boni plerìq; omnes domum, ac domeſticos lares, patriam, familiam, ac eas res, q̃bus certè nullæ poſſunt eſſe chariores, relinquere, & ad ſanctiſſimos pedes tuos alicuius ſcilicet ſtudio ſeruitutis aduolare. Itaque noli putare, me, aut fortuitù, aut repentina aliqua uoluntate ad amplitudinem tuã meis litteris amplectendam incidiſſe; cum in me tantum iampridem effecerit opinio ſanctitatis, & probitatis tuæ, quæ cum in omnibus omnium pectoribus

aſſiduè uiuat, publicę etiam famę præconio commendatur; ut te abſens, quem profectò uidi numquam, ſanctiſſimè ſemper coluerim; & præſens tibi quoquomodo poſſem deſeruire, uehementer optarim. Qua de re tota, quia Fontanæ sũmæ prudentię uiro, ſatisq; tibi (ut audio) familiari difuſius, paulloq; altius explicaui rationem conſilij, pietatis in te, & uoluntatis meæ; nolo te talem, ac tantum uirum, grauiſſimarum ſemper rerum curis oppreſſum pluribus tenere. Videbis meas ad illum litteras, cum illo commnices, & quid de me, aut ſenties, aut ſtatuès, facies uelim fieri me quàm benigniſſimè, & amantiſſimè certiorem. Bene vale, & ad cęleſtia anhèlantem te ſeruet, ac prouehat Chriſtus, unica ſpes piarum mentium; ideſt tuę ſimillimarum.

AD CAMILLVM GALINAM
Patricium Ticinenſem, legumq; profeſſorem.

EGo, Camille, antequam ampliſſima noſtra hæc Ciuitas perhorrendo illo, peneq; inextricabili ſęuientis peſtilentiæ periculo, tanquam altera nauis in naufrago mari ſpumantibus undiq; fluctibus iactari uideretur; cœperam mandare litteris laboris, neſcio, quid, & lucubrationum mearum, nõ ad ampliſſimos tantum ciues noſtros; ſed ad illuſtres etiam uiros aliquot, finitimarum ciuitatum, propeq; maximarum; eratque mihi tum cordi ſcribere etiam aliquid ad te, quo tibi perſpecta eſſe potuiſſet incredibilis mea quędam animi propenſio, & amor certè ſingularis, quem

in me

in me ortum iampridem à preclaris ingenij tui monumentis tacitus conſeuaram. A quo enim die mihi, neſcio, quid conceſſum fuit otij, ut ad ſacratiſſimarum legum præclariſſima ſtudia animum referre potuiſſem meum, teq; ſæpius audiuiſſem in ornatiſſimo Ticinenſis Academiæ loco ſumma auditorum frequentia ius Cæſareum interprætātem tanta ſententiarum grauitate, tanta maieſtate uerborum, tanto deniq; dicendi lepôre, ut planè Tullius alter uiderere; Ex eo cępi te ſumma obſeruantia colere, atque etiam uehementer optare ſignificare tibi, & quanti te facerem, & quantam proptêrea de te animo conceperim opinionem: Sed cùm turbulentiſſimæ huius vrbis tempeſtates, tùm mehercule conditio temporum miſerrimorum fecit; ut numquam ex imo pectore tamquam ocultis è latebris hactenus egredi potuerit pertenue hoc indicium amoris in te, iudicij, uoluntatis, & obſeruantiæ meæ. Vale, & me in numero tuorum adſcribe.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM Petrum Antonium Lunatum.

TVrca ferox cum claſſibus olim ſcinderet æquor,
Vaſtaretq; Cyprum fortia bella ciens.
Dux fueras ardens Scytico maculare cruore
Cùm mare nauigerum, tùm genus omne loci.
Scilicet æratas tunc confregiſſe phalanges
Diceris, & pelago diſieciſſe rates.
Diceris Inſubrum decus alto ſanguine natus,
Atq; tuum gentes nomen ad aſtra ferunt.

AD CAROLVM BVSCAM PATRICIVM Ticinenſem, Petri Franciſci F.

MVsa mihi dic laudandus quo Carolus ore,
Hèroum flos eſt, eſt patriæq; decus.
Te celebrat lautis vrbs, Carole, noſtra triumphis,
Aeternis dignum laudibus eſſe canit.

AD IOANN. IACOBVM BECCARIAM Patricium Ticinenſem, & legum ciuilium in ſecunda ſede, horæ matutinæ interpretem diligentiſſimum.

INgenii princeps es lauripotentis, & alti
Cultor Apollinis, hinc diceris vrbis honos.
Romanas video tibi iam dictaſſe Camœnas,
Ingenioq; tuo doctius eſſe nihil.

AD DIONYSIVM PAIARDVM
Patricium Ticinenſem, & Iuriſconſultum.

AVREVS & te Phœbus amat, doctæq; Camœnæ,
Tota fuit rebus muſa benigna tuis.

AD BERNARDINVM GERLIVM CIVEM
Ticinenſem, optimarumq; artium, &
medicinæ profeſſorem.

CVM tua Caſtalius iam ſparſerit ora liquore,
Eloquio polles, ingenioq; uiges.

AD IOAN. IACOBVM GVASCVM,
Cauſarum oratorem Ticinenſem.

TV propria uirtute tibi, proprioq; labore
Egregiam laudem, diuitiasq; paras

AD IOAN. PAVLLVM GVASCVM
nobilem adoleſcentem Io. Iacobi F.

ET pudor honeſtus morum, florensq; iuuenta
Effigies animi eſt, indiciumq; tui.

AD DANIELEM, PAVLVM, ET IOAN. Baptiſtam Iuſtinos Patricios Placentinos.

AD DANIELEM.

REGIA naſcentem ſtatuit te munere dignum
Imperij Iuno, deliciasq; dedit.
Pallas, & honeſtum tibi tradidit ipſa decorem,
Iuppiter ingenium, Veſta animumq; pium.

AD PAVLVM.

PAVLVS es æternis muſis, & Apolline dignus,
Quem iuuenem fouit Calliopea ſinu.
Ipſe tuos mores, & doctæ fulmina linguæ
Miror, & in nitido pectore conſilium.

AD IO. BAPTISTAM.

LAVRIGER & te Phœbus amat, Charitesque ſorores.
Et tua odorata tempora fronde tegunt.
Tu generis laudes, patriæ tu nomen auitę
Conſeruas iuuenis, uel potius ſuperas,

Iſidoro

ISIDORO BONFANTO, NOBILI uiro, & equeſtri militi.

QVOD officio iampridem functus es, ut ad amicitiam Hier. Cornazani Equitis clariſſimi, aliorumq; uirorũ laude præſtantium optatiſſimus mihi pateret aditus; agnoſco amorem tuum, memoriamque meam beneficij tui nulla dies extinguet. Eius uerò tanti uiri erga me benignitas, & ſplendor tantus eſt; ut numquã pigeat me pro eo elaboraſſe; cum præſertim ſtudiũ ipſe ſuum omne locare uideatur in me; nec de cõmodis, & ornamentis meis ceſſet quotidie melius cogitare. Quare debeo tibi utroq; nomine, & quòd ſis ex domeſticis, atq; intimis familiaribus eius, & quòd hæc ipſa, quę mihi cum illo intercedit, neceſſitudo ex officijs tuis profecta eſſe uideatnr. Vale.

AD PETRVM FRANCISCVM Biragum, Vicobiani Dominum.

INGENIO felix, pręſtas & fulmine linguæ,
Es patriæ ſplendor, gloria, fama, decus.

AD IVLIVM CAESAREM Biragum, Petri Fratrem.

IVLIVS es Cæſar, Romani, nomine dignus,
Gloria Martis es, & Palladis alter honos.

AD

AD CAROLVM CORNAZANVM
S. Mauritij, & Lazari equitem ſpectatiſſimum, Hieronymi F.

FLos iuuenũ, ueterisq; urbis ſpes maxima noſtræ,
Debentur meritis præmia magna tuis.

AD FRANCISCVM POMPEIVM
Cornazanum, Hieronymi F.

INGENIVM, placidi uultus, facundia, geſtus,
Te manaſſe ferunt Palladis è gremio.

AD MICHAELEM MANGANVM
Iuris pontificij interpretem in ſecunda ſede Ticinenſis Gymnaſiij.

EFFIGIEM recti ſeruas, iurisq; decorem,
Caſibus & dubijs utile conſilium.

AD HIERON. LVNATVM PATRICIVM
Ticinenſem. I.C. Franciſci F.

TE Charites lætæ, te fouit & altus Apollo,
Te Ticini omnis culta iuuenta colit.
Illuſtris ſplendor, prẹclaraq; facta parentis,
Atq; tibi uirtus iam decus omne parat.

IN ZOILVM QVENDAM.

OMNIA ſubducis blandus, nec vera fateris,
Dulcibus in verbis, quid niſi virus habes?
Non pudor in te, non fidi reuerentia amici;
Aeſtus ſunt luſus, inſidiæq; tui.

AD IO. IACOBVM CATANEVM Ciuem Ticinenſem.

IPSA tibi Pallas placidos afflauit amores,
Vt ſtudio, & muſis deditus eſſe velis.

AD PETRVM ANTONIVM BONETVM Patricium Ticinenſem.

MARTIVS & tu Dux fueras cum bella ciebat,
Turcharum princeps, & ſcytici proceres.
Inducijs factis, placida uel pace quieſcis,
Atque domi tutus te, patriamque iuuas.

AD REVERENDVM NICOLAVM Boſſium Patricium Mediolanenſem, & Iur. Conſul.

ETsi ſcio non paucos fortaſſe ſecus exiſtimare, Boſſi nobiliſſime: ego tamen eius ferè ſententiæ fui; nihil aut eſſe, aut certè futurum, cuius non fatum: cauſas efficientes natura contineat, & ad hominum vota flecti etiam quandoq; uideri. Quod, quamquàm ſæpius meis in rebus uideor certè expertus: numquã tamen illuſtrius, quàm proximè tecum in optatiſſimo mihi, atq; honorifico amicitiæ tuæ bono; cuius memoriam ſpero mehercule ſempiternam fore. Nam de me tibi ſic habeas, ac vehementer perſuadeas, uelim, mihi nequaquam nouum uideri tantopere à te diligi me, nam & ſuperioribus temporibus cum ſæpius audiuiſſem de te ea, quę de ſummis viris, ac ſumma uirtute, ſummoq; ingenio præditis audiri, prædicariq; ſolent; ferebam te oculis, & mecũ tacitus obſeruabam: tum augurabar futurum; ut quem tanto ſtudio incognitus colebam, rerum aliquando ferret euentus, ut eius amicitiam cognitus aſſequerer, & homini prope familiari iam facto, viroq; melius de me quotidie ſentienti uiciſſim ſuis in rebus amicè pollicerer, & amanter defferrem ſtudium, & operam meam. Quod cum ex ſententia euenerit, & eius rei cauſam fatale, neſcio, quid prouidiſſe uideatur, neſcio profectò quid aliter ſentire; niſi vt magnam habeam gratiam Cornazano Equiti non minus dignitate, quam uirtutis, & nominis laude præſtanti, cuius orationi habitæ de me tecum honorificè, & tu plurimum certè tribuiſti, & ego ſummi de me viri, ſummis, ac ſingularibus officijs tan-

tum me debere ſentio, quantum mehercule uix queo ſcriptis enarrare. Tu uero, tanti viri prædicatione cómotus cœpiſti de me optimè iudicare, & amplioribus quotidie muneribus me ornare contendis; ſed agnoſco humanitatem tuam, & confidas fore, ut opinioni tuæ reſpondeant exitus ſtudiorum, & actionum mearum. Vale.

AD HIERONYMVM CORNAZANVM Luſitaniæ Regis Equitem clariſſimum.

SANGVINE purpureo ſate noſtri temporis heros,
CORNAZANE decus, præſidiumq; meum.
Munera magna ferant tibi nobilitatis alumne,
Fauſtaq; cuncta Dei, tu memor eſto mei.

AD EVNDEM.

CORNAZANVS es, & ſatus alto ſanguine priſco
Ticini ſplendor, ſplendore domus, animiq;
Fortis, & excelſi, celſę virtutis alumni.
CORNAZANVS Eques cum ſis, & nomine dignus,
Diceris ac heros heroum ſanguine natus.
O utinam fortuna uirum fatalis ad alta
Te uehat ac herois opes tibi cauta reportet,
Præſidium ſtudijs ut poſſis ſiſtere noſtris.

AD CA-

AD CAROLVM ANGELVM Ghiringhellam Patricium Ticinenſem, & Iureconſul.

PERSAEPE mihi conſideranti, & memoria uetera repetenti magnitudinem tuorum erga me meritorum, Ghiringhella humaniſſimè; planè uideo, debere me tibi plus mehercule, quàm perſoluere unquã me poſſe confidam. Neque enim uel honori, uel prope ſaluti meę amiciorem quemquam fuiſſe cognoui; ut autem in poſterum cognoſcam, uix audeo ſperare. Tibi uerò, eſt quod gaudeas, me potiſſimum tuis beneficijs ornaſſe, qui te, tuamque uirtutem grato ſemper animo ſum proſequutus, & ut quàm gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer, plurimum certè laboraui: Sed tu cum natus eſſe uideare ad ſuperandas officijs tuis omnes hominum cogitationes, & te tui ſimillimum eſſe demonſtras, & à parenni, conteſtataque uirtute maiorum tuorum nihil omnino degeneras; quippe ex ueteri ortus Ghiringhellarum familia, quę à primis uſque temporibus pro hominibus, aut iuuandis, aut conſeruandis magnos diu labores, moleſtiaſq; ſuſcepit. Tradunt enim uetera annalium monumenta Ghiringhellas à Germania oriũdos cum ipſo fortaſſe Euandro Mercurij filio ad incultas haſce Inſubrum regiones demigraſſe. Vbi cum ſuauiſſimam huius cœli temperiem, regionis ſitum, agrorumq; amœnitatem reperijſſent, & hic ipſi ſibi commorandum putarunt; & alios etiam paſſim ex eadem Germania extrusêre, qui ſimul optatę potirentur arenæ; ſed, cum temporibus illis nullis eſſent imbuti moribus homines ferarum more per ſiluas, campoſq; deerrantes, quantum

pro rudibus illis,populiſq; ferocib⁹ leniédis,iuſtitiaq; & ſacris legibus inſtruendis ſtudij, laboriſq; ſuſceperint,non facilè queo ſcriptis explicare. In bellicis autem rebus,uel proxima Caroli Quinƈti tempeſtate ex Ghiringhellis præſtantiſſimi fuêre, nec pauci quidem militiæ Duces. Sed poſteaquam inter maximos catholicę fidei Principes pace conciliata conceſſum eſt à dijs immortalibus initium quieſcendi, atque animum referendi ad eas artes,quę uerè ſunt animorum conſolatrices; in his maximè maiores tui ſe ſe totos dedêre.Nam, & elapſis ſingulis proximis ætatibus ſinguli, uel aui,uel attaui tui tantum ſtudij contulerunt in diuiniſſima rerum præſertim Philoſophia, tantum in ea,& in optima medendi arte progreſſi ſunt;ut non ſolùm in celeberrimo iſto noſtro Ticinenſi litterarum Gymnaſio publicè legerint, docuerint, ſummoq; dicendi artificio, Platonem, Ariſtotelem,Hippocratem, Galenum, cęteroſq; naturæ artifices interpretati fuerint : ſed ab Excellentiſſimis etiã Mediolani Ducibus fuerint in curiam euocati; ſummoq; ſemper in honore habiti. Nec defuerunt, qui grauiores huius reipublicæ magiſtratus magnificè ſemper geſſerint; Qui patrię,qui pauperibus,cognatis,affinibus,amicis,ignotis etiam hominibus,uel conſilio, uel opera, & labore prodeſſe ſemper uoluerunt.Tu uerò cum,& iuris prudentia excellas, & ampliſſimos huius urbis magiſtratus aſſiduè geras ſummo omnium conſenſu, facilè te æquas immortali gloriæ virorum talium. In forenſibus autem rebus tanta tu quidem iuris, & legum ſeruata ęquitate dijudicas litigantium cauſas; ut ad Neſtoris annos uiuere te cupiant doctiſſimi, & optimi quiq;. Hoc autem in te efficit non tam mehercule do-

ƈtrina

ctrina tua, quæ ſanè ſumma eſt, & aſſiduus ſtudiorum labor; quàm mentis integritas prope diuina, & quædam conceſſa tibi præpotentis munere Dei iudicij æquitas; ut ne cui nocere uelis, aut certè poſſis. Quid in maximis ſuperiorum temporum calamitatibus, ac miſerrimis illius peſtilentiæ ruinis, cum pleroſq;, uel perniciosa mors nobis eriperet; uel in fugam timor longè diſtraheret; Non ne unus tu, tanquam alter Cicero patrię pater appellandus totius periculi impetũ pręſens ſuſtinuiſti, & prudentia tua tot malis imminentibus diuina fretus ope prouidiſti; ne pauperes deſperatione rerum, & ciborum inopia perirent, & ingraueſcentem quotidie morbum aſſidua diuini numinis imploratio mitigaſſet? Quàm tu ꝓuidus, quàm beneuolus, quàm modeſtus, quàm humanus in rebus omnibus, locis, & hominibus? De ſingulari uerò in Deum, & homines pietate; de clementia in pauperes, & calamitoſos omnes, quid attinet nota cuiq; deſcribere? cum inter tot tantaſq; magiſtratuum gerendorum curas, hoſpitalis etiam diui, (quod aiunt) Matthęi adminiſtrationem ſuſcipere uolueris; onus ſanè grauiſſimum propter multitudinem, magnúmq; concurſum hominum calamitate laborantium: ſed dignitatis etiam plenum, propter ampliſſima multa, quibus auctus eſt, priuilegia pius ille pietatis locus. Et mehercule quid tu ſtudes aliud, quàm ſtudio, cura, opera, & labore prodeſſe quamplurimis, & iuuare conſilio? Nec alium tibi finem proponis, quàm aliquid ſemper ad indigentis utilitatem ferre. Quo quidem nihil melius, nihil laudabilius. Quid enim fuit aliud, quod Herculem illum in concilio cœleſtium collocauerit? Quid Numam Pompilium? Quid innumerabiles

biles alios, quos rudis olim, & inepta uetuſtas, tamquam Deos poſt mortem habuit, ſemperq; uenerata eſt? Non ne beneficiorum memor hominum fama? Non ſecus ego de te, quem ſemper feci, faciamq; (ut debeo) plurimi, qui pro te emori poſſim, cum quibus mihi ſermo incidit, hoc ſpondeo omnibus; probiorem hominem, meliorem virum, ſanctiorem te noſce neminem. Quare ſi me memorem, ſi gratum, ſi dignũ deniq;, cui beneficiũ præſtiteris, iudicas; fac me ſemper in tuam habeas clientelam, & perſeuera conſtanter quibuſcunq; potes opem ferre. Sic enim, & beneuolentiam tibi hominum conciliabis in terris, & locum in cęlo conſequêre; cuius poſſeſſionem nulla umquam delebit temporis ſucceſſio. Vale.

CASTELLO SACCO ARTIVM & Medicinæ Doctori S.

OPERIS parum fortaſſis elimati editionem præcipitaſſe me, ſcito, cuius, ad te exempli, neſcio, quid, ut mitterem hortata eſt mea peruetus in te obſeruantia, & amor certè ſingularis; ut tu, cuius iudiciũ facio equidem; feciq; ſemper plurimi, quam de me opinionem cõciperes, quiduè ſentires in ſcriptis meis, uel uiciſſim ad me peramanter, & amicè ſcriberes, uel cum quid utriq; noſtrum conceſſum eſſet otij, ingenuè, fideliterq; communicare uelles. Cęterum, impediri quoſdam liuore, & obtrectationis odio, quo minus probentur ſibi ſcripta mea; non ualdè laboro; nec me liberior; & inquinatus iſtorum ſermo terrebit,

bit,quin in propoſito mihi perſiſtendum putem,& ad ſumma ſemper enitar: Non enim Ariſtotelem a ſcribendo terruit amplitudo Platonis; nec Ciceronem liuor Catilinæ; nec, ut tu unus omnium optimè noſti, Galenum, Hippocratis ſumma artis peritia Medici,famaq́; Aeſculapio prognati. Tu vale, & me neglecta obtrectatorum inſania, dilige,

LAZARI CHRISTIANI CLERICI TICINENSIS ORATIO. ET EPISTOL.

Liber Secundus

AD GALEATIVM BRVGVRAM MEDIOLANI SENATOREM Ampliſsimum.

CVM præpotens, & omnium Princeps natura rerum fatali, neſcio, qua ratione, diſsimilibus, ac ignotis rebus admirationem quamdam impoſuiſſe videatur; Brugura, Senator ampliſsime, auguror, propterea, fore, vt tibi mirum quiddam videri facilè poſsit; quòd ego humilis ſcilicet homunculus, qui mehercule nè molles quidem humanitatis numeros attigiſſe videor, & cuius etiam tu nullam habes (quod

ſciam) ne nominis quidem fortaſſe notionem; auſim ſcribere ad te virum cęlitus dimiſſum, cuius eloquentia nemo habet vberiorem, nemo iudicium grauius, nec ingeniū quoq; prçſtantius. Sed omnis abſit admiratio, nec de me tibi naturam ducem optimam imitandam putes, velim: quandoquidem licet tu nullum hactenus inſigne habueris indicium amoris in te, pietatis, & obſeruantiæ meæ: ipſe tamen te, & antea Ticini honeſtiſsimam præturam gerentem, & poſtea quam ad Senatum, ideſt ad Principem iſtum ſalutis, mentiſq; publicæ redijſti, ſanctiſſimè ſemper colui, nouique optimè, & quamquam referendis ego tuis laudibus exili ſanè ingenio fui, & mihi vocis vbertas ad dicenda, quę de tua maieſtate ſentiebam minimè ſufficiebat, nec ora centum, linguæque totidem: tamen quantulus, quantulus fui, vel vmquam eſſe poſsim, præclariſsima illa ingenij tui monumenta, quibus omnes iam penè tibi deuinxiſti, numquam deſtiti prædicare. In qua quidem ſumma officij mei voluptate; vehementer dolebam, querebarq; mecum tenuitatem fortunæ meæ, quòd ſpectatiſsimi viri, Reipublicæq; conſeruandæ ſtudioſiſsimi, ſin-
gula-

gularibus, & nouis quotidie honoribus, ac iudicijs Senatus ornati, nullo officij genere poſſem, vel amicitiam mihi plurimum expetendam conſequi, vel iuſtam, debitamq́ue pietati meæ gratiam inire. quod ſi litteris ijs aſſequi me poſſe cōſiderem, plenè triumpharem. Neq; arbitror, reprehendendam eſſe cupiditatē meam, quod tibi aliquanto notior eſſe velim; ac in numero tuorum adſcribi, qui plurimum authoritate, ſtudio, & gratia vales; quique quoties ad ſummos Chriſtianæ Reip. Principes Excellentiſsimi huius Senatus nomine magnificentiſsimo legationis, & oratoris munere perfunctus es, tantum tibi honoris, gloriæq́; comparaſti, vt te nunc iure quodam tuo inter ampliſsimos omnes ampliſsimi ordinis patres cōſcriptos, vnum ſuſpiciant, & admirentur omnes, vnus totius ordinis decus; ſplendorq́; eſſe videare. Quod profectò facilè arguunt Ticinenſes Illuſtres viri omnes, qui te, quoties huc proficiſci cōtingat (contingit autem ſępe) tanta ſuſcipiunt alacritate, tam magnifico apparatu certatim omnes contendunt in domos excipere; vt vix verbis exprimi poſsit omnium lætitia cordis. Sed, vt habeas rationem aliquam

inſtituti, voluntatis, & ſententiæ meæ; ſic habeto, me poſt obitum Raſarij, præſtantiſsimi doctrina viri Ticinenſis Academiæ noſtræ, mihi quidem certè, neceſsitudine coniunctiſsimi, cogitaſſe nonnumquam; num is eſſem, qui honeſtiſsimo illius lectionis munere defungi, & tanti viri loco ſuccedere poſſe viderer. Qua de re, peto à te, oro, atque obteſtor, vt de me velis grauiſsimum conſilium tuum adhibere, & ſi tibi viro vni omnium peritiſsimo rerum videor, poſſe me, illius locum, aliquo meo iure vendicare, cum ampliſsimo ordine toto Communices, & in me ornando ſtudium tuum diſces omne. Quod ſi feceris id, quod ſpero, & opto: ſi minus tibi pro dignitate, vel voluntate potius mea gratiã referre licebit; habebo equidem ſemper plurimã; referet autem is, qui pietatis officia multo cum fœnere ſolet remetiri. Sed mehercule, nec tu mediocrem fortaſſe, vel ex authoritate teſtimonij tui, vel ex iudicio beneuolentiæ voluptatem capies. Vale, tuamq; dignitatẽ Chriſtus optimus inſtaurandæ Reip. boniſq; literis euehendis diu tueatur incolumem.

EIDEM

EIDEM CARMEN.

BRVGVRA, tu celſos apices radiantis olympi
Nominis aſpiras nitidi ſplendore Senatus.
Laus tibi ſumma datur, ſummoq́; potiris honore.
Te canit Inſubrum, tollitq́; ad ſydera nomen
Doctorum numeroſa cohors, & ſermo canorus,
Te tua dimiſſum cęlo probat inclyta virtus.
Aureus aſtriferum ductus tibi, celſaq́; Phœbus
Tradidit, inſtructumq́; Polymnia fortius auxit.
Te eloquium Pallas docuit, Cyllenius ornat,
Muſa tibi Clio quoq; pulchris aſſonat odis.
BRVGVRA, tu vigiles ſubijs dum ſpontè labores,
Otia dum fugis egregiæ virtutis amore,
Iſtius Inſubrumq́; Senatus, cum grauis vrget
Res, & nuntius exequeris mandata per orbem,
Iam decus immortale tibi, nomenq́; paraſti.

AD CAMILLVM SCAPHENATVM PATRICIVM MEDIOLANENSEM,

Legumq́; profeſſorem in Ticinenſi Gymnaſio noſtro.

INGENII lumen, eloquentia, Camille diſſertiſſime, & ſi res vna omnium difficillima pleriſq́; omnibus, qui & eloq uentes ipſi, & in dicendo graues, atque ornati fuerunt, aliquando viſa eſt; vel propterea quòd illis ex rebus vniuerſis conſtare videatur, quibus in ſingulis elaborare permagnum quiddam certè ſit: Non paucos tamen facilè reperies, qui, cum apprimè ornati vocis actione, ipſo etiam cum lepôre; non ſolum in cauſis forenſibus, ſed etiam in communibus vti facilè potuerint, & verbis ad audiendum iucundis, & ſententijs ad probandum accommodatis, ad eloquentiam proximè acceſſerint, & nomen ipſum oratoris, quod eſt viri boni ſcientijs omnibus vndequaq, ornati ſibi ſuo quodam iure vendicarint. Quod quidem nemo omnium, qui aliqua fuerit rerum antiquiſſimarum notione imbutus negabit olim eſſe conſecutos apud vetuſtiſſimas

tuſtiſſimas illas, & omnium doctrinarnm inuentrices Athenas Iſocratem, Thucididem, Demoſtenem, Xenophontem; Romæ verò Ciceronem, multosq; alios prioris illius ſęculi viros dicendi, & eloquendi magiſtros, quorum è ludo, tamquam ex equo Troiano innumerabiles alij exorti ſunt excellentes doctrina virj, & in dicendo graues, atq; iucundi. Sed quid mihi, quaſi per remotiſſimas orbis terræ partes, atq; abditiſſimas Heremi ſpeluncas peragranti venit in mentem tam remotos à noſtra tempeſtate viros commemorare? Quaſi non noſtra etiam hæc ætas omnium fœcundiſſima quotidiè pariat oratores plenos, atque perfectos, ideſt qui de omnibus rebus poſſint variè, copioſèq; dicere. Atqui olim Athenis tantum, vel Romæ, quę vna rerum potita eſt, Oratores extitiſſe leguntur. Noſtra verò tempeſtate, non ſolùm Romæ, & Venetijs, quas ob frequentiam hominum doctiſſimorum, & cum toto orbe terrarum comertium alteras Athenas dicere poſſe uidemur; Sed Pariſijs etiam Bononiæ, Patauij, longiſſimèqi in Hiſpanijs, ac vbicumq; Romana lingua uiget, atque exercentur ſtudia artium optimarum, optimi oratores reperiuntur. Sed nè noſtra hæc Ciuitas omnium uetuſtiſſima, & quæ olim potentiſſimorum regum ſedes, domiciliumque extitiſſe conſtat, frequenti etiam conſpectu uirorum doctrina, laudeq; præſtantium, vllis inferior eſſe videatur, cum potiſſimum in hac ſit, fueritq; iamdiu ampliſſimum, & à Carolo Magno conditum litterarum Gymnaſium doctiſſimis refertum hominibus, plurimiſq; ductis ſacratiſſimarum legum, artiumq; optimarum magiſtris, magnis ſcilicet propoſitis uirtutis, & eloquentiæ præmijs; quot, quantiq; fuere docti, & elo-

IASONI MAYNO PATRICIO Ticinenſi S.

QVAE alliciant ad amandum multa ſunt, Iaſon ornatiſſime; ſed una uirtus, cum per ſe amabilis, & una omnium maximè rerum expetenda ſit, facilè intelligis, præcipua quadam amoris, & obſeruantiæ nota non mirificè tantum diligi, ſed ſtudiosè etiam coli eos, in quibus potiſſimũ ipſa uirtus elucet. Etſi quando fit, ut ijs accedant pręclara illa, quæ dicuntur naturæ ornamenta, ſcilicet corporis apta quædam figura membrorum cum coloris ſuauitate, ſtatus erectus, inceſſus paullò grauior, tum geſtus ille oris, & vultus cũ uenuſtate, & eæ res, quæ dulcem, & optatum motum afferunt ſenſibus; ij mehercule, & ſibi perbeati meritò uideri poſſunt, & cęteris fiunt etiam ſuo quodam iure periucundi. Hoc tibi eleganti in dicendo viro, in exiſtimando prudenti, totoq; genere perurbano cum facilè perſuaſum ſit; facilè etiam cogitare potes, non fuiſſe aliud, quod me tibi iamdiu ſingulari quadam beneuolentia deuinxerit, niſi tua uirtus, tua humanitas, tuæ gratiæ, tui ſales, tuæ litteræ politiores; tùm quod optimis naturæ ornamentis tam apprimè ornatus ſis. Dij immortales, quid eſt, cur non uehementer optarim meis amplecti litteris egregium ciuem omni prorſus excultum genere doctrinarum, & in quo tam quam in ſpeculo quodam coruſcanti facilè eſt, uidere uerum exemplar humanitatis nitoris, ſuauitatis, lepôris, uenuſtatis, & eruditionem præterea nobili viro dignam? Hoc cum ita ſit, & ego propterea te tantopere diligam, ac obſeruem; Fac tu, me, Iaſon ornatiſſimè, mutuo ſequaris amore. Vale.

H AD OCTA-

AD OCTAVIVM BVTTIGELLAM, Sancti Mauritij, & Lazari Equitem clariſſimum, ac ipſius Religionis in Parmenſi, & Placentina Diœceſi Præfectum.

HAEC me tibi ſæpius antea ſcribere cogitantem, Buttigella, Eques clariſſime, deterruit ſemper inuitum, & ab inchoacto nonnumquam opere retardauit mirificus quidam in me pudor uerentem, ne quid tale ſcriberem, quod uel graui perſonę tuę, uel eximię potius meæ in te pietati minus conſentaneum uideri quandoq; potuiſſet. Retraebar etiam accurrata quadam conſideratione mea, famę, dignitatis, & doctrinę tuæ. Nam mehercule mihi ſæpius de te ſciſcitanti, ab ijs, qui tecum ferè uerſantur aſſiduè, quibus profectò patent ingenui animi tui ſenſus, non obſcuro quidem, aut uario ſermone: ſed & clariſsima ſemper, & una omnium voce confirmatum fuit, te in omni actione, generéq; uirtutum ita excellere, ut omnes facilè trahas in admirationem tui. Quod ipſum, Eques clariſſime, quoties mihi occaſio tulit, (tulit enim ſępe) fixis, ut te oculis intueri poſſem; cùm in grauiſſimo proficiſcendi motu, tùm in admirabili quadam eloquendi modeſtia, coniuncta herclè cum ipſa quoq; uenuſtate optimè conijciebam. Quandò præ te fers ingenuitatem quandam, & exprę ſſam humanitatis effigiē, quæ ſtudioſorū prę ſertim uirorum, bonorumq; omnium beneuolentiam facillimè ſibi conciliat. Ob eamque cauſam ego, te, ut ſtatim cœpi cognoſcere, cœpi etiam uehementer amare, & ſumma ſemper obſeruātia ſum proſequutus ęgregium Equitem uirtute, gloriaq; florentem, optabamque uehementer ſignificare tibi, &

quo

quo tē ſtudio colerem, & quanta cupiditate arderem, me aliquando poſſe æquabilem à te gratiam inire. Quod ſi harum aſſequor litterarum bono; etſi nihil ueri boni in hiſce inferioribus orbis terrę partibus ineſſe putatur, ego tamē ſummum quoddam bonum putabo me eſſe conſequutum. Sed incendit me hoc loco incredibile quoddam animi deſiderium, ut de præclara, perueteriq; domo ueſtra aliquid præſertim cum laude poſſim recenſere. Verum quia ſatis iam difusè ueterrimis, ac fideliſſimis ſcripta ſunt in annalibus egregia peneq; diuina omnia maiorum tuorum facinora, non puto eſſe meum, qui primas tantum attigi muſas uelle quicquam ijſdem de rebus parum prudenter fortaſſe ſcrbere. Nam quis ignorat iam abhinc annos plus 800. floruiſſe Buttigellas rebus præſertim bellicis, quæ maiores olim putabantur urbanis? quippè qui ſinguli ſingulis ętatibus legitimè ſemper Chriſtianæ fidæi rempublicam propugnantes, ſequuti ſunt Chriſtianiſſimos quoſq; Reges, & ſummos etiam Imperatores. Ita ut, & rei militaris uirtute, & grauiſſimi cuiuſq; negocij bene gerendi prudentia ſibi olim acquiſiuerint non ampliſſimos tantum dignitatis, & honorum gradus, ſed plurimos etiam locorū cenſus. Nam & innumerabiles eoſdem prętantiſſimos belli duces, magnanimoſque Herôes fuiſſe legimus, & Excellentiſſimos multorum quoque locorum dominos extitiſſe ſcripto comperimus. Quid plura? uel uetuſtiſſimæ multæ, peneque innumerabiles palatiorum ſtructuræ, quas inhabitant Buttigellæ omnes facilè arguunt magnificentiam, & ſplendorem illuſtris, & antiquę familiæ tuæ. Miſſas facio plurimorum Equitum honoratiſſimorumq; uiro-

rum, ideſt tui ſimilium ſuauiſſimas recordationes. Qui enim, quot, quantiq́, fuêre Melitæ Equites; & qui illius ordinis Pręfecturam magnificè ſemper, ſummaq́; cum admiratione Principum omnium geſsêre? Nę uè multos prædicem, cum nullum omninò finem ſortiri poſſet oratio mea, quanta gloria, quanto honore, quam ſuaui deniq́; memoria adhuc uiuit numquam moriturus Aurêlius Buttigella eorundem Equitum Præfectus digniſſimus? qui cum nequiſſimis ſępius Turcharnm piratis congreſſus tanta prudentia, atque fortitudine, uictoria ſemper potitus fuit, ut non omnes modò Chriſtianæ Reipublicæ Principes, ac ipſum quidem Pontificem Maximum; Sed & Turchas ipſos traxerit in admirationem ſui. Cuius tanti Viri, & Equitis clariſſimi Heroica uirtus, cum planè principibus uiris conſecranda uideretur memoriæ hominum ſempiternæ, pręclarè illius inſignia Ticini Pij Quinti Pontificis maximi iuſſu, in ampliſſimo diui Thomę, ideſt in medio totius urbis templo frequenti ciuium concurſu omnibus in promptu ſunt. Te uerò, Octaui Eques clariſſime omnium quidem maiorum; ſed huius potiſſimum gloriæ uideo uelle reſpondere. Nam cùm te ſemper ab ipſa etiam ineunte ætate præclarę geſſeris in omni actione uirtutis, eius aliquandò præmium pro parte conſequutus, maxima iamdudum inſignitus fuiſti Equitis dignitate; quin & maiori glorię tuæ cumulo præfectus pro parte conſtitutus. Quo in munere cum ſummam ſemper æquitatem, ſummam prudentiam, ſummam item fidem, ac liberalitatem omnibus oſtenderis, tantum tibi gratiæ, tantum honoris, uel tantum potius amicitiæ conciliaſti cum Sereniſſimo Allobrogum Duce, magno eius religio-

nis magiſtro, ut te maximo cum nominis tui ſplendore cooptare etiam uoluerit in ſecretiſſimum eiuſdem religionis conſilium. Quid cum te Romam recepiſſes proximis Pij Quinċti Pontificis ſummi temporibus? Quanta Cardinalium tibi neceſſitudine coniunctiſſimorum, quanta ipſius Pontificis ſummi benignitate exceptus fuiſti? Qui te cum ob generis nobilitatem, tùm ob ingenij celſitudinem, & egregias alias animi tui uires aureatum ordinis Sancti Petri militem adſcribi uoluit. Quod ſi Principes uiri, uel à parentibus ſuſceptam, uel ortam à præclaris ingenij tui monumentis amicitiam tuam non ſolum ſeruare; ſed uehementer etiam augere cupiunt. Quid me mediocris conditionis hominem decet optare? nempè tibi aliqua in re ſi modo poſſem, deſeruire, & ſic mihi dulcem, & optatum amorem tuum conciliare. Vale, pridie kal. Sextilis. M. D. LXXIX.

ALEXANDRO BECCARIAE
Patricio Ticinenſi, Archangeli Iur. Conſul. Filio.

FRANCISCVS Auegnius Curię Ticinēſis auditor omni laude cumulandus, uir eſt optimus, & nobiliū, uel uirtutis, uel familiæ nomine uirorū .i. tui ſimilium ualde ſtudioſus. Hunc ego magnum amicum magno, fęliciq; meo ſydere nactus eſſe uideor, cuius amicitia orta iampridē ab optimo meo de illius uirtute, de ingenio, de religione, de optimis morib⁹, ac integritate, iudicio,

iudicio,non ſolum hactenus conſeruata eſt; ſed & perpetua mea in illum obſeruantia, & mutua quadam, planeq; mirifica ipſius in me animi propenſione, eo uſque creuit, ut nulla temporis noui ſucceſſione auctior fieri poſſe uideatur. Quare huic tali uiro, tam optimè de me merito, animi gratia (ut fit) interdum proficiſcenti officij; & honoris cauſa comitem me ſæpius adhibuì. Inde tulit occaſio, ut te mihi prorſus incognitum obuium nonnumquam haberemus, cuius ego nobilem naturam, conſpectum grauem, & cultũ ſermonem cum uehementer admirarer, quæſiui ab eo, num te noſceret ſaltem nomine. Qui mihi dixit, tibi etiam ſatis eſſe familiarem, multiſq; propterea, ac magnis de rebus tecum egiſſe, in quibus plurimi ſemper fecit grauiſſimum iudicium tuum in omni actione uirtutis. Itaq;, & ex ea opinione, quam de te primo adſpectu optimam ipſe conceperam, & ex oratione etiam grauiſſimi, & amiciſſimi uiri, uolui hoc meo litterarum bono non ſolum tibi, cui maximè cupio; ſed omnibus prope teſtatum relinquere, & quam honeſtam de te opinionem cõceperim, & quo honore proſequar. Vale, meq; dilige. Ticini xviij. kal. Nouemb.

IO. MARIAE SIMONETAE Præpoſito, & I. C.

VENERAM heri ad te mane, quòd ſcire cũpiebam; num hominem conuéniſſes, et de re, de qua pridie tecum amicè communicaram, egiſſes. Sed tu domi non

mi non eras,& interea me moleſtiſſimæ occupationes meæ, ita diſtinuerunt; vt ad te minimè poſſem redire. Quare mitto ad te nepotulum meum, cui mandata des, uelim,& de eo, quid egeris, condocefacias. Quòd ſi hactenus nihil fortaſſe præſtitiſti, ut præſtare breui,& ex ſententia poſſis, ac uelis, opto nehementer,& rogo. Tu tibi deeſſe, noli,& in me,qui totus ex te pendeo, adiuuando, ornandoq; fac,te tui ſimilli mum præbeas, Vale.

IO. MARIA SIMONETA Diui Theod.Præpoſitus. Lazaro Chriſtiano Sal.

CVM tua eruditio,qua nihil Ticinenſibus gratius eſſe poteſt,multis tùm litteris,tùm carminibus mihi perſpecta, me ad te amandum iampridem conuertiſſet, effecit hæc nouiſſima Epiſtola, quam ad me miſiſti;ut tuis compulſus præcibus, meum in te ſtudium iterum,atq; iterum tibi per litteras declararem,& præcipuè, quid tuo nomine cum amicis, ijsq; non vulgaribus egerim. Scias uelim, me nulla in te,,quæ tibi pro deſſe poſſet in hanc uſque diem defuiſſe; neque defuturum,donec ſpiritus hoſce meos rexerit artus. Cæterum ſumma cum diligentia quæ limanda ſcripſiſti,& uidi,& ruminaui, quæ ſatis tuo lemmate,& nomine laudata uidentur, uno dumtaxat uerſu excepto, quem (ut conijcio) cum aliud ageres, raptim exaraſti: reliqua uerò adeò doctè,& politè compoſuiſti, ut

ijs

ijs nihil doctius, nihiluè elegantius excogitari potuērit. Quid enim, ut ex animo loquar, à Lazaro proficiſci niſi doctum, terſum, & in ſumma elegans poteſt? Vale muſarum decus egregium, meq́ue ut ſoles ama. Datum nóſtris ex ædibus idibus Iulij. Anno ſalutis noſtræ. M. D. LXXIX.

AD EVNDEM CARMEN ex tempore.

MVsarvm laticem nos olim ſuximus ore
Illius, exiguus ſed fuit hauſtus aquæ,
Ingenuè fateor me dilexêre Camœnę
Fauit, & ingenio dulcis Apollo meo.
Sed me iam uetulum penitus ſpreuêre ſorores
Reſpuit in totum uita ſenilis eas.
Quo pede cœpiſti iuuenis tu Carmina pange,
Cui pariter muſę doctaq; Proſa fauet.

Idem tui amantiſs. qui ſupra Præpoſitus.

AD HIERONYMVM CASSONVM ampliſſimum Philoſophiæ profeſſorem in Ticinenſi Gymnaſio.

QVoniam, ut diuinitus ſcriptum eſt à Platone, & tu unus omnium optimè noſti, Caſſone ſapientiſſime, omnis optimarum artium cognitio, quam Phili-

philoſophiam, ideſt ſapientiæ ſtudium eſſe dicimus, circa pulchrum uerſatur; & omne, quod eſt amabile, idem pulchrum perfectumq; eſſe opportere, nõ ignoras. Inde fit, meo quidem iudicio, ut qui pulchritudinis alicuius, & ſapientiæ ſtudio delectatur, flagranti etiam quodam amoris, & obſeruantiæ ſigno proſequatur eos, qui multa diſcentes, & in perpetuo quodam acquiſitionis ſapiẽtiæ ſtudio uitam degentes nõ officij ſolum, & benè, beatèq; uiuendi rationem aſſequuntur; ſed, & grauiſſimam perſonam uidentur ſuſtinere, & recti, perfectiq, amatores omnibus ipſi ſuo quodam iure fiunt amabiles. Hinc eſt, Caſſone ſapientiſſime, quòd iampridẽ cum perlatus eſſet ad me clariſſinus, & certiſſimus hominum ſermo doctiſſimorum, uirorumq; uirtutis, & nominis laude prꝫſtantiũ, ideſt tui ſimilium de nobili natura tua, de animi excelſi quadam, & præſtantis ingenij ui, de optimis optimarum artium ſtudijs, & eloquentiæ præceptis, quibus mehercule tamquam alter Cicero diceris Platonem, Ariſtotelem, Hippocratem, Galenum, cęteroſq; naturæ artifices illuſtrare; cœpi te, quem numquam antea noram unicè diligere, & ſumma ſemper obſeruantiá ſum proſequutus uirum grauem, optimeq; de litteris, ac litteratis uiris merentem: tum acceſſit nouiſſima prædicatio Camilli Scaphenati uiri mehercule cum ſplendore nominis, tum iuris, & Legum doctrinarumq; omnium ſcientijs apprimè ornati, tui certè cupidiſſimi, qui me uerentem ad te ſcribere propter ſummum ingenium tuum, ſummamque doctrinam amicè quidem hortatus eſt, & amanter ſuaſit, ne diffiderem officij, & humanitatis tuæ. Vale.

AD ALPHONSVM BECCARIAM Comitem Ticinenſem.

QVI difficilem ſimilitudinem gerunt, pręclaramq́; ſpeciem ſapientum, & uiri boni ſplendorem, nomenq́; perpetuo ſibi ſeruare cupiunt; uel tu, Alphō ſe Comes clariſſime, idemq́; ſapientiſſime, unus omnium optime ſcis, oportere eos nihil agere obſcurum, nihil omnino moliri, ac ne mente quidem, uel cogitatione concipere, in quo ſtatim uerum aliquod decus non poſſit elucere, & honeſtum illud, quod ex animo excelſo, magnificoq́; quæritur, & in ſolis ſapientibus perſpici poſſe uideatur. Itaq́;, tu, quem unum uerè ſapientem, & eſſe cognoſcimus, & haberi uehementer optamus, nihil umquam, aut humile cogitaſti, aut opinaris ſine conſtanti, honeſtaq́; ratione: Sed cum ſapienter diuina imiteris, & humana omnia inferiora ducas uirtute, ſingulari moderatione, atq; conſtantia animo ſemper quietus es, tibiq́; placatus, neque tabeſcis moleſtijs, neque timore frangeris; nec ſitienter quicquam appetis deſiderio, nec futili alacritate geſtiens deliqueſcis. Tu, (quod ſoli contigit ſapienti,) nihil inuitus facis, nihil dolens, nihil coactus, ſplendidè omnia, grauiter, conſtanter, honeſtè, & ita ſemper affectus es; ſic animo excubas, ut optimè utaris ratione. Ex quo fit, ut tua omnis agitatio mentis in ſumma mente prædito Deo ſit, & in ciuilibus actionibus, officioſiſſimisq́; laboribus, uel pro patriæ dignitate, uel pro bonorum ſalute ſuſceptis, emanet præclara illa uirtutis, & honeſti ſpecies, quæ etſi oculis minimè cernitur, ut ingenij Princeps, & doctrinæ Plato uoliſſet: tamen mirabiles in te excitat amores tui. Vale,

& quan-

& quando doctis hominibus, ac ſtrenuis etiam uiris, quorum conſuetudine plurimum delectaris, natus eſſe uideris; fac me cupidiſſimum tui, meaq; ſcripta, tãquam alter Mecœnas fauore tuo fulcias, auctoritate tuearis, foueas benignitate, ſplendoreq; ornes.

AD MARC. ANTONIVM CVCCHVM Iur. Conſul. Prępoſitum, & Prothonotarium Apoſtolicum.

EX omni genere animantium, quæ parens natura rerum gignit, alit, fouet, tuetur, ac nutrit: Et ſi ſolos homines rationis participes eſſe dicimus; facilè tamen eſt, uidere pleroſq;, quaſi minime fuerint ea ipſa imbuti ratione, delectari rebus inanibus, ut honore, ut gratia, ut ædificijs, ut ſuperuacaneo quodam corporis cultu, atq; ueſtitu. Ego uerò, etſi hæc ipſa quantum exigit hominum uſus, ac neceſſitas, nũquam improbaui: tamen, ut ſtatim aliquid ſapere, & quid eſſet expetendum, fugiendumq; cœpi melius intelligere; cogitaui ſemper id, quod res eſt, ueram hominis laudem, quæ ſcilicet uni uirtuti debetur, non extrinſecus petendam: ſed in ipſius actionem uirtutis ponendam eſſe. Ob eamq; cauſam ſummè ſemper ſtudui id, quod & Socrates philoſophiæ parens dicere conſueuerat; perfectum mihi opus eſſe, ſi ſatis eſſem concitatus cohortatione mea ad ſtudium cognoſcendæ uirtutis. Quod ſi minus hucuſq; re cuiquam uideor pręſtitiſſe, ut tamen praſtare, & efficere aliquando poſſim, certè

non decero uoluntate. Sed hæc ipſa uirtus excellentium hominum, idest tui ſimilium, cum imitatione non inuidia digna ſit; Perſuade tibi, Cucche ſapientiſſime, me numquam inuidiſſe tuis maximis, clariſſimiſque uirtutibus; ſed & ſumma cum laude prædicaſſe, & cum multò magis quotidie prædicem, ad hoc confero omnia mea ſtudia; omnem operam, induſtriam, atq; laborem; ut iſtam ingenij tui præſtantiam; eximiam uirtutem, uitæ integritatem, atq; innocentiam ſingularem ſi minus imitatione conſequi poſſum, uoluntate certè proximè accedam. Et cum nihil, mea quidem ſententia, ſit, quod ad ſe rem ullam, tam alliciat, atque contrahat, quàm ad amorem, & amicitiam imitatio uirtutis, atque ſtudiorum; quo te ego amoris, deſiderij, & beneuolentię genere iampridem ſum proſequutus? Quo te ſtudio colui? qua nunc obſeruantia cupio acquirere te mihi amicum, te, inquam, ſumma ſemper in laude uerſatum? Qui cum omni laudandarum artium cognitione, tum maximè iuris prudentia ita inſtructus, uel ita potius excultus ab adoleſcentia fuiſti, ut ad officiorum multos, neq; expertes dignitatis gradus, iampridem aſcenderis. Quippe qui non ſolum in nobiliſſimo Ticinenſis Academię loco ornatiſſimo lectionis munere ab ampliſſimo ordine tibi delato concurrentibus undecumq; auditoribus præclariſſimè perfunctus es, ſed ob admirabilem famam uirtutum tuarum Romam etiam euocatus fuiſti; Dij immortales, à quo uiro? à Pio Quarto Pontifice Maximo ad primariam ſcilicet lectionem Gymnaſij ſui. Qui quidem Pontifex Maximus ſeculorum memoria dignus ampliore te honoris gradu, (qui illius amor in te erat) decoraſſet; niſi inopinata mors tantum uirum

tam

tam optimè de republica Chriſtiana ſentientem maximo omnium luctu rapuiſſet. Neque tamen poſteaquam Ticinum regreſſus es, defuit tibi honos aliquis, quaſi præmium tuæ uirtutis. Nam & Hippolytus Roſcius Ticinenſis noſter Antiſtes de optimo quoq; uiro, & doctiſſimo homine, ideſt tui ſimillimo benemerens eo te ornauit honore, ut ipſius curiæ Vicarius eſſes. Quo quidem munere per annos aliquot à te honeſtiſſimè ſemper, ac integerrimè geſto; cum ſumma animi continentia ipſo Epiſcopo ualde repugnante, reſpueris, detulit tibi Præpoſituram, (ut nunc loquimur) diuæ Mariæ Perónæ, cuius certè fructus nulli fortaſſe reperientur preſertim Ticini uberiores, iam diu tibi ſcilicet debitum præmium tantorum laborum, & uigiliarum tuarum. Quamquam tu in otio iſto poſitus cum dignitate, nullum tamen tibi finem proponis ſcribendi, & elaborandi in Iure Ciuili, atq; Pontificio, in quibus multa iam à te ſunt ſcripta diuinitus, & mandata litteris ad immortalem gloriam nominis tui. Vale, diuque fœlix uiue. Ticini idibus Sptembris.

BARTHOLOMAEO CAGNOLIO
causarum Oratori, & familiari ſuo.

TVI erga me amoris propenſio, ſingularis humanitas, meumq; perpetuum de tua prꝷſtanti uirtnte iudi-

iudicium, fecit; ut magni mea intereſſe putarem ſcribere aliquid ad te, quo uiciſſim meã erga te beneuolẽtiam facilius perſpicere poſſes, & memoriam meam meritorum tuorum nunquam intermorituram cognoſceres. Nam mehercule tanti ſemper ego feci officium tuum erga me, cęteraq́; tua ſtudia, quæ mihi ſępius, ac meis amiciſſimè præſtitiſti; ut quamquam hęc ipſa magis à me prędicari, quam à te põderari ſolent: ego tamen quicquid retineam, uel gratiæ, uel honoris cum clariſſimo uiro (noſti cętera) id omne tua unius prædicatione me habere confitear. Nam, uel teſtimonijs ſententiæ dictæ, uel honorifico ſermone, nihil eſt, quod me non aſſequutum putem. Illud autem doleo, fato, neſcio, quo accidiſſe, ut tibi ad me ornandum ſemper facultas data ſit, mihi ad remunerãdum nihil ſuppetat, præter uoluntatem. Vale, & me tuo de more dilige.

AD LVDOVICVM ACERBVM Patricium Mediolanenſem, & Iureconſultum.

EFFIGIEM præ te fers nobilitatis, ACERBE,
Atque tuo ſemper fulget in ore decor,
Inde tui ſimiles omnes uirtutis alumni
Laudibus egregijs te, & tua facta canunt.

EIDEM.

EIDEM.

TV prope Ticini ſpirantem fluminis auram
Atque ſuburbanos hortos, redolentia prata.
Dum colis, egregio multum ſociate CAMILLO
Cæruleas uiridi ripa aſpicis undiq; Nimphas,
Luſu quæ læto tibi fundunt gaudia vultu.

AD CAMILLVM SCAPHENATVM

SCAPHENATE CAMILLE, CAMILLI fortis alumne,
Non acri bello, fortis at eloquio
Romanus fuit in bello ferus ille CAMILLVS
Fortis, qui fortes iam domuit populos.
Ticini eloquio gentes dominaris in omnes,
Ac hominum ſenſus ore CAMILLE tenes.
Corporis ei robur tribuit Mars ſæuus in hoſtes,
Aſt animi Pallas, Arcadiusque tibi.

AD IOANNEM IACOBVM

Beccariam Patricium Ticinenſem, & legum Ciuilium in ſecunda ſede horę matutinæ interpretem diligentiſſimum.

ETSI mihi probè conſcius ſemper fui, & quanti te facerem, & quàm mirandum immodum tuas expetiuerim

petiuerim uirtutis, & gloriæ laudes fieri quotidie auctiores: parum tamen ea de re capiebam uoluptatis, Beccaria grauiſſime; quod nullus antea rerum tulerat euentus; ut tu, (quod maximè cupiebam) idipſum ex me perſpicere poſſes illuſtrius. Hoc autem tempore; cum mihi Deus Optimus maximus tantum impertijſſe uideatur opis; atque iudicij; ut aliquos edere uelim, aut prorſus non indignè poſſim fœtus laboris, & induſtriæ meæ; quaſi diuturnam ſitim explere cupiés; occaſionem eam auidè ſum complexus, ut aliquid eſſet in ſcriptis meis ad decus, & memoriam nominis tui. Neque tamen putes, uelle me (quod plurimorum moris eſſe conſtat) longo quodam fortaſſe orationis contextu ea de te ſcribere, quæ maximis iampridem animis, ſplendidiſſimiſq; ingenijs omnibus in promptu ſunt. Cum latiſſimè pateat, te, & rerum prudentia maximarum excellere, & ueram laudem in præſtantis tantum actione uirtutis ponere, ſolere. Quod quidem ego uehementer ſæpius ſum admiratus talem uirum, & familię nomine illuſtrem, & ęquabilis fortunæ bonis affluentem uerſari ſemper in ſtudijs rerum præſertim grauiſſimarum, & in ijs cognoſcendis, atque pertractandis, quamuis pleniſſimæ ſint laborum, pleniſſimæque moleſtiarum ſtudium tuum omne, mentem, atque cógitationem figere, & locare. Sed cum colligo ipſe me uideo, quod in te tua uirtus, non ea, quæ extrinſecus petitur; ſed quę ab ingenui animi tui ſenſu proficiſcitur, id efficit; & uerum decus immortalemque nominis gloriam ex rebus optimis, grauiſſimisq;, & pręclariſſimè geſtis, petendam eſſe ſuadet, & egregie pollicetur. Itaque maiorem tu nominis tui ſplendorem aſſequeris, uel potius iam aſſequutus

quutus es, quod ſummis laboribus ad inſignem iam pridem I. C. lauream perueneris, quod mox honeſtiſſimis publicarum lectionum muneribus, & ſingularibus honoribus decoratus ſis in Ticinenſi Gymnaſio noſtro; quod quaſi per aera uolante fama uirtutum, & laudum tuarum à Sereniſſimo Mantuæ Duce fueris euocatus, ibique Præturam integerrimè, & magnificentiſſimè geſſeris, & poſtea quoq; in ampliſſimorum Senatorum numerum cooptauerit Dux idē maximis imperijs dignus, quo in ampliſſimo honoris gradu adhuc eſſes, niſi. Niſi te Patriæ charitas retraxiſſet, & tuus eorum amor, quibus certè nullæ res poſſunt, aut debent eſſe chariores; quod item uarios Ticinenſis reipublicæ noſtræ benegerendæ magiſtratus non inuitus ſuſcipias, & ſumma æquitate geras, quod pauperes, & calamitate laborantes libenter in tuam ſuſcipias clientelam, & benignè tuearis; quod deniq; bonarum artium profeſſores, ac ſtudioſos cōplecteris, & amas; hæc inquam Io. Iacobe ſapientiſſime maiorem tibi nominis ſplendorem acquirunt, uel iam potius acquiſiuere; quàm ſi Varronis theſauros habens tibi tantum in diem uiueres otioſus. Vale igitur, & ad propoſitam uirtutis, & gloriæ metā perge.

AD THOMAM GVALLAM

Patricium Ticinenſem, & Iuris Pontificij in prima ſede interpretē celeberrimū,

CVM eſſet mecū Franciſcus Auegnius, curiæ Ticinenſis Iudex æquiſſimus, qui de te loquit, & ſentit

egregiè; multa de ſtudijs, ac bonis artibus, quibus illũ apprimè ornatum ſcis, familiariter, & amicè egimus. Sed poſt multa, cum me litteris daturũ aliquid eſſem pollicitus; quæſiuit ille, num etiam aliquid ad te; cui me iam pridem id penſitaſſe, negare minimè potui; ſed quod me dignitas tua ſemper, & perſona deterruerat, uerentem, ne talem uirum tantarum rerum occupatione diſtentum, tantarumq; uirtutum gloria florentem pudentis non eſſet inanibus interpellare litteris. Sed cum me idem, qui te nouit optimè, planè docuiſſet eſſe te quidem uirum grauem, ac omni prorſus eruditione prę́ſtantem; ſed neque tamen diffidendum humanitati, ac modeſtiæ tuæ, auſus ſum hoc ad te litterarum dare; Neq; putes uelim, me uelle quicquã hic tuis de diuinis laudibus recenſere, quæ per ſe ita patent; ut non modò propinqui, familiares, & amici eas uehementer admirari ſoleant; Sed exterę etiam nationes ſumma cum laude prædicent. Nam, ut omittam, quod à teneris uſq; annis nullis umquam laborum generibus pepercisti; ut ad inſignem I. C. lauream peruenires; quodq; ſummis ſemper uigilijs ad primarium uetuſtiſſimi huius, ac omni prorſus ſtudioſorum genere florentiſſimi Gymnaſij locum ſummo auditorum concurſu meritò iampridem ab ampliſſimo ordine fueris euocatus; nullum umquam, neque ſtudij, neque officij genus prætermiſiſti, neq; modò prætermittis, ut bonos omnes, cognatos, affines, ac ignotos etiam homines cõſilio, opera, & labore iuuare pro facultate poſſis. Vnde facilè eſt uidere, plurimos quotidie homines grauiſſimarum præſertim rerum curis agitatos ad te, tamquam ad alicuius portum ſalutis concurrere, quos omnes cum & libenter

ſemper

ſemper in tuam ſuſcipias clientelam, ac benignè tuearis, nulla ſpe mercedis adductus, illud tibi aſſequeris, quod & ij ubiuis gentium, atque locorum eſſe contigerit tuo deuincti beneficio, & ſummis te extollunt laudibus, optimiſque proſequuntur ominibus; & Deus præpotens nullius immemor beneficij longè uberiorem tibi reddet in cœlo mercédem. Vale, meq; dilige. Ticino kal. Quintilis. M. D. LXXIX.

ALPHONSO CANI NOBILI, ET ſtudioſo Iuueni.

ANTONIO fratri mandaram; ut ſi te, tuoſq; Ticini; (quod uix ſperabam fore) offendiſſet, omnes meó nomine iuberet ſaluere. Quod cum pro uoluntatè contigerit; utrumq; lętor, & te in urbe incolumen eſſe, & fratrem, quod mandaram, officio perfunctum eſſe. Sed quid egeris; & ubi commoratus ſis ipſo calamitoſiſſimo tempore ſuperiore; ex te potiſſimum ſcire cupio. Equidem uereor ruri ſine libris. Itaq; longum ualè dixiſſe Bartholis, & Badijs tuis. Quod ſi ita eſt doleo; & quando te in ſuis de honeſto libris præclarè docuit Tullius ille noſter, ſæpe dari ad ſtudia reditus, hortor te, uel etiam, ſi pateris, oro; ut ad priſtinam conſuetudinem ſtudiorum tuorum redeas; Neque patiare, ut optimarum legum libri tui, in quibus, dum uiueres mecum in urbe, conſumebas omne tempus; quærantur modò tecum, quod eos, tamquam nullius ponderis res, aut certè ornamenti reliqueris. Sed

nolo, ad te in hac ſententiam plura ſcribere, quem tua ſponte ſatis incitatum ad optima quæq; cognoui, & cuius ingenium ſatis elegans, atque peracre quotidie uigilantius ad ſumma ſemper enitetur, & perficiet. Vale, & amantiſſimo patri, fratribusq; ſalutem plurimam meis verbis. Mortaria idibus Nouembris M. D. LXXIX.

AD PROSPERVM, ET TVLLIVM Fratres, Carretos.

CVrritis ad laudem, Carreti, paſſibus æquis,
Quos uirtutis amor dulcis ad alta uehit.

AD IOANNEM PETRVM Philibertum. I. C.

PHiliberte tibi Charites tribuere ſorores
Ornamenta tui corporis, ac animi.
Vndiq, delicias præfers, mirantur & omnes
Dum incedis grauiter, fatis, & alta uiris.

AD NI-

AD NICOLAVM PARMAM APVD Epiſcopum Ticini Muſices Præfectum.

PArma tibi dulces numeros tradidēre canendi
Caſtalides Muſæ, Mercuriuſq; ſimul.
Tu Canis egregiè, te iam docuêre periti.
Dumq; doces alios, gloria magna tibi eſt:
Diſcendi cupidum noſti ſi fortè nepotem;
Te colit humanè, tu memor eſto ſui.

AD IO. BAPTISTAM MONTIVM Hieronymi Senatoris Filium.

DEgener haud fies Illuſtri laude parentis,
Qui uirtutis habes effigiem iuuenis.

AD FAVSTVM CANEM, NOBILEM & Fauſtum Iuuenem, ſuiq; alumnum.

FAvste, animo Fauſto ſis, & lætare iuuenta,
Quæ tibi frondeſcens omnia Fauſta parat.
Cum tibi multiplicem dederit natura decorem;
Omnibus es charus, charior inde mihi.

AD CAESAREM LVNATVM Patricium Ticinenſem, & I. C.

CVM me aliquot iam annorum decurſu Ticinum, id eſt ad mercatum omnium optimarum artium contuliſſem, Lunate Nobiliſſime; magna quidem certè cogitatione, ſpeq; delectabar; ut ij potiſſimum ciues, qui non quòd illuſtri tantum eſſent loco nati; quàm quòd inſigni uirtutum fama pręclariſſimarum optimè etiam de bonis uiris, & doctis hominibus mererentur; fierent & mihi quotidie notiores, & aliquo meo officij genere, quoad poſſem amicos, conciliarē. Inter quos memoria teneo, me, cum ſæpius temporibus illis uidiſſem te, ac prorſus admirarer nobilem naturam tuam, conſpectum præterea grauem, ac ſummam in corporis motu dignitatē; allectum illico fuiſſe ad amorem, & obſeruantiam tui; ſic, ut nulla deinceps futuri temporis ratione, abundantiam illam, obſeruantię meę, putarem omnino fieri poſſe auctiorē. Et tamen, cum quotidie magis, magiſq; frequens uerſarer in ampliſſima ciuitate, & grauiſſimis doctiſſimorum hominum Illuſtriūq; uirorum, id eſt tui ſimilium teſtimonijs, pleniorem habuiſſem elegantis ingenij, tui animiq; excelſi notionem, tanta mehercule auctio facta eſt amoris in te, deſiderij, & uoluntatis meæ; ut hoc ipſum non ſatis litteris explicare queam pro dignitate. Quod ſi par eſſet ingenium meum laudibus tuis, ut cupiditati meæ ſatisfacere poſſe uiderer; Efficerem libenter, ut etiam ipſa poſteritas cognitum haberet, perſpectumque iudicium meum nobilitatis tuæ. Vale, diuque fœlix uiue.

IOANNI

IOANNI LVCAE BELLOCHIO
Patricio Ticinenſi ruri commoranti.

MAGNAM mihi uoluptatem attulerunt litterę tuę, quòd quam ſperaram, atque optaram, habere te de me opinionem, cognoui. De qua etſi antea mihi nihil ueniebat in mentem ſubuereri: tamen, ut incorrupta maneret, uehementer optabam. Ego uerò conſcius mihi eram, nihil à me commiſſum eſſe, quod animum boni cuiuſquam poſſet offendere. Itaque minus credebam, tibi uiro optimo, hominiq; rerum peritiſſimo temerè quicquam perſuaderi potuiſſe, quod ante actę vitę meę minus conſentaneũ uideret. Vale.

AD HESTORREM VICECOMITEM
Virum Illuſtrem.

NISI mihi perſuaſum eſſet, tuæ potius humanitati confidendum, quàm grauitati diffidendum, nequaquam auſus eſſem ſcribere ad te uirum clariſſimo genere ortum, geſtarumque rerum gloria florentiſſimum. Cuius ampliſſimi nominis memoriam, cùm rei militaris uirtute, tùm urbanarum prudẽtia rerum, & multi iam cõmendarũt uiri memores, & amantes tui, & ipſe q uãtulus quantulus ſim, cõmendandã putaui monumentis hominum ſempiternis. Et profectò iam tu multis temporibus rebus in bello fortiter, ac præclarè geſtis ſæpius oſtendiſti, eo te Vicecomitum generoſo ſanguine natum, qui primos olim procreauit inuictiſ-

inuictiſſimos Mediolani Duces, qui, & aduerſus fortiſſimos ſępius exterrarum gentium Duces alios, opibus, armis, belloq; potentes uictoria potiti ſunt, & ſuę uirtutis exempla pręclariſſima poſteritati reliquerũt. Itaque, tu ab ipſa nondum ſatis confirmata ætate, uel maiorum exemplo prouocatus, uel propria commotus animi celſitudine nullo umquam, aut metu, aut periculo terrebare; quin ad acerrima quæque bella profectus ſis. Nam, & ipſius Caroli Quincti Imperatoris ſummi tempeſtate partim aduerſus Gallos; partim etiam contra Germanos turmæ Equitum Præfectus rem bellicam fortiter, ac ſtrenuè ſemper tractaſti ſumma cum admiratione Principum uirorum omnium. Nec minus acrem te, ac fortem uirum, magnanimumque Herôem præbuiſti pro excellentiſſimo, tibique neceſſitudine coniunctiſſimo Octauio Farnenſi Parmæ, & Placentiæ Duce, cum bellum olim inijſſet in Ferrariæ Ducem. Nouiſſimis uerò temporibus, cum te Venetæ vrbis Principes viri Præſidem euocaſſent ad Sebenici cuſtodiam, quanta gloria, quantoq; nominis tui ſplendore ſummam gerendi belli prudẽtiam oſtenderis aduerſum furentes, & quotidianos finitimorum Turcharum impetus, non ſatis ſcribere poſſum pro dignitate.

IO. IACOBO AICARDO
Præpoſito, & Iureconſulto.

ETsi recuſare minimè poſſum, quin ea, qua nati ſumus conditione uiuamus: mihi tamen ſæpius

uenit

uenit in mentem quæri tenuitatem fortunæ meæ; quòd iis, qui mirificè de me meriti eſſent, nequaquam gratias referre poſſem pro uoluntate. Quamquam.n. ſcio, ſatis apud te ualere profeſſionem bonę uoluntatis meæ: uideor tamèn à me ipſo deſciſcere, cum tibi nullum hactenus indicium dederim memoriæ meæ meritorum tuorum. Tu me quidem noſti ſuperioribus temporibus adoleſcentem humilibus, ſed honeſtis tamen parentibus ortum cum paupertatis cauſa neque ſacerdotij poſſe uiderer dignitate potiri; neque acceſſum ad ea ſtudia nanciſci, quæ me, & eo nomine nō prorſus indignum redderent; & ad aliquam nominis gloriam anhelantem uiam facerent expeditiorem.. Sed qui me tum docuere normam ipſam religionis; uel qui potius ad omnia ſuaunm mihi præſidium pręſtiterunt? non nè uni tibi, & Bellochio tuo, uel potius noſtro, ſi quod eſt in me ueſtigium diſciplinæ, teneor, acceptum referre? Dij immortales; quibus utrique beneficijs non me ornaſtis ampliſſime? quod mecum conſilium non ambo communicaſtis? Sed optimè quidem, quando, & ipſe uobis duobus, nullos mehercule habui umquam clariores.

Vale.

OCTAVIANO FERRARIO PATRICIO Mediolanenſi, & Philoſophiæ Profeſſori in Ticinenſi Gymnaſio.

QVod te non fugit, Ferrari ſapientiſſime, inſitus eſt cuique natura cognitionis amor, & earum maximè rerum in quibus pulchri deſiderium ineſſe, præclarè ſcriptum eſt à Platone. Quod quidem, uel ex eo ſatis perſpicere liquet; quòd cum neceſſarijs ſumus negotijs, curiſq; uacui; Tum ſemper auemus noui aliquid ſcire, audire, diſcere: Et ſi quid nobis, aut occultum eſt, aut prorſus admirabile, cuius præſertim cognitionem ad benè beateque uiuendum neceſſariam ducimus; à uiris doctis maximè ſciſcitamur. quo fit, ut non modò ipſas optimarum artium notiones uehementer expetamus; ſed ſummo etiam honore, ſummáque admiratione proſequamur eos in quibus hęc ipſa uelut in ſpeculo, uerè perſpicimus elucere. Mihi uerò cum in ſtudijs non quantum liquiſſet optanti conceſſum eſſet, aut temporis, aut certè facultatis; quærebar mecum ſæpius, cur ita uiuerem, ut non quantam meus in legendo animus caperet fortaſſè uoluptatem; tantum in ſtudijs cõferre licuiſſet ętatis. Itaque uiros eos fœliciſſimos ſemper iudicaui, qui in otio poſiti ſatis etiam fortunæ bonis affluentes ad optima quæque doctrinarum genera animum referrent, & optimè de litteris, & poſteritate mereri poſſe uiderentur. Quos uerò noui uiros doctrina præſtantes ſimiles tui, eos ſemper ſtudioſiſſimè colui; & ab ijs ipſis honeſtam gratiam, ut inirem, plurimum ſemper expetiui. Quod ad te propterea ſcripſi; ut facile intel-

ligeres, quid me tibi traxerit ad amandum, atque colendum. Vale.

* CAESARI ADVOCATO *
æquiſſimo Iudici.

CVM te grauiſſimus Inſubrum Senatus Ticinum Iudicem miſiſſet, ideſt in eam ciuitatem, cui non niſi regius Senator Prætor præeſſe conſueuit, & quæ decoratur hoc tempore admirabili præſentia Hieronymi Montij Senatoris ampliſſimi; contemplatuſque eſſem mecum ſępius ſpeciem egregiam iudicij, probitatis, & doctrinę tuę; totũ me tibi deuinctũ eſſe cognoui; Ex eo factũ eſt; ut arderẽ cupiditate prope incredibili coniungendę mihi amicitię tuę, & tibi ẽt quantũ ualerem, quãtumq; poſſem polliceri officiũ, & operam meam. Quod quando, ut optaram euenit, gaudeo uehementer, me tibi uſq; adeo amicum eſſe factum; ut opera interdum mea uti uolueris, & tu uiciſſim me multis, ac magnis officijs ornare contenderis. Quæ omnia, cum mihi accidiſſe gratiſſima, putes, uelim; patiare etiam, obſecro te, ut nomen ipſum gratitudinis meæ ſcriptis celebrem, & commendem meis. Vale.

HIERONYMVS FVRNARIO
Patricio Ienuenſi, Ticinum habitanti.

CVM Nicolao Boſſio, uiro religionis, & uirtutis laude cumulato ſumma mihi neceſſitudo eſt, quã

propterea mihi ſanctiſſimè ſemper colendam eſſe duxi; quod orta ſit à pręclaris illius ingenij monumentis, incorruptam mea ſeruarit in illum obſeruantia, auxerit etiam fortaſſe grauiſſimum hominis amantiſſimi mea de fide,& ſtudijs iudicium. Quo cum mihi ſæpius conſuetudo fuit iucundiſſima, & familiaris etiam communicatio ſermonis.Sed proximè de te mecum,cum loqueretur, & ſentiret honorificè, quippe qui diceret eſſe te uirum grauem,& prudentia rerum optimè gerendarum non minus excellentem, ſtatim cœpi te, cum amantiſſimi uiri prædicatione commotus; Tum quod uiros iudicio graues, & tui ſimiles plurimi ſemper mea ſponte feci; cępi,inquã;te ſtudioſiſſimè colere, & amoris in te mei ſignum dedi hoc ad te litterarum. Vale, mihiq; quibus rebus potes (potes autem plurimis) faue.

AD IOSEPHVM SALIMBENIVM Sancti Mauritij, & Lazari Equitem Clariſſimum.

NON me fortuitu,aut repentina aliqua uoluntate ad amplitudinem tuam meis litteris amplectendam incidiſſe putabis, Salimbeni, Eques Clariſſime. Nam multos abhinc annos, cum ſermone multorum

certior factus eſſem, quantũ excelleres in omni prorſus actione uirtutis, quantamq; propterea ſoleres habere rationem hominum ſtudioſorum; cogitaui ſemper quo potiſſimum officij genere aliquando poſſem talis, ac tanti uiri amicitiam inire. Ita enim fit, ut qui ſtudia, arteſq; ingenuas fouent, ac tuentur, plurimi etiam fiant ab ijs, qui eas ipſas profitentur bonarum artium diſciplinas. Quamuis enim non hoc mihi arrogem, ut inter ſtudioſos, ac litteratos uiros haberi uelim: tamen negare omnino non poſſum, quin mihi à natura inſitus ſit incredibilis amor quidam, & ſcientiæ cupiditas. Tu uerò quàm plurimis, quamque maximis officijs afficere ſoleas homines eruditione præſtantes, ſatis prædicant ij, quos ſummo tibi beneficio deuinxiſti, doctiſſimi, & optimi uiri. Quare minimè arrogans cuiquam, nec tibi mirum fortaſſe uideri debet, ſi mediocris homo fortunæ, mediocris etiam eruditionis, qualem me tibi eſſe uerè poſſum affirmare, meo tamen litterarum bono adeò uehementer exoptem optatum mihi iamdiu aditum ad amicitiam tuam: quando ad hoc ipſum tuo me inuitaris conſuetæ benignitatis exemplo in bonos omnes, ac eruditos uiros, de quibus profectò, cum adeo benemeritus exiſtas, ac ſemper extiteris, ſic illorum auxiſti in ſtudijs, ac bonis diſciplinis uoluntatem, ut multi multa iam mãdarint litteris, plura fortaſſe mandaturi maximo cum nominis tui ſplẽdore. Sed hanc tu magnificentiam, tamquam ampliſſimum patrimonium à maioribus tuis clariſſimis, ac potentiſſimis uiris meritò accepiſſe uideris; quippe uetuſtiſſima natus Salimbeniorum familia, quę olim totam pene Senarũ Rempub. fouit, ac tutata eſt. Ante.n. quàm magni Florẽtiæ

Ducis

Ducis urbs illa omniũ uetuſtiſſima ſubdita foret ditioni, plus ſemper habuit per ſe uirium ad ſuſtinẽdos aduerſa fortuna magnos reipublicæ ſumptus, quàm oẽs ſimul Senarum ciues; quin & contra rempublicam ipſam ſępius arma tulit, proptereaq; ſui fuiſſet immemor accepti beneficij. Eo enim potiſſimum tempore, quo Florentiæ Principes uiri magna militum uì, atque copiarum Senas ſibi ſubdere uolebant; cum uel ęrarium deficeret, ſic, ut Senenſibus militibus ſtipendia dari amplius non poſſent: ita, ut neq; patriæ ſalutem confirmari, nec periculum morari poſſet amplius. Ditiſſima tùm, atque clementiſſima domus ueſtra, tantum pecuniæ condonauit pugnantibus pro patria militibus, quantum cuique fuiſſet opus ad ſumptus neceſſarios per multos abillinc menſes ſuppeditandos. Talis, inquam, ac tanti immemor beneficij cum reſpublica fuiſſet, tanto impetu ſęuierunt clariſſimi, ac potentiſſimi maiores tui contra incredibilem illius contentionem, ut niſi magnus Imperator Federicus Oenobarbus tanto periculo conſuluiſſet, miſerrimum fuiſſet ortum ciuile bellum. Sed is ad Inſubres ueniens potentiores ſecum duxit Salimbenios, qui poſtea Ticini, uel quod amœniſſima loci amœnitas, & ſaluberrima cœli temperies ſic eos inuitarit, Ticini, inquam, ſibi commorandum putarunt, & deinceps ſingulis ętatibus, uel rebus præclarè geſtis, uel opibus, dignitate, honoribus ſinguli floruêre maiores tui. Hîc tu ergo optimus es hęres non nominis tantum, ſed etiam gloriæ uirorum talium: quippe qui quantum uiribus eniti, conſilio prouidere, opera iuuare potuiſti, id omne reipublicæ noſtræ ſemper pręſtitiſti.

IOANNI GVLIELMO BONIOLIO
Nobili viro Mortarienſi S.

QVAMQVAM uerè poſſum affirmare, omnes me ſæuientis fortunæ caſus Mortariæ paſſum eſſe; ac propterea eiuſce loci debere numquam reminiſci; qui de hominis teterrimi, deq; inſolentium aliorum indignitate periculum feci, qui nepotem optimis iam imbutum doctrinarum primordijs immatura morte amiſi, cuius ex admirabili expectatione ſperabam fore, ut maiorem in dies caperem uoluptatem laboris, officij, & pietatis in illum meæ; Tamen cum recordor non vulgarem quorundam beneuolentiam, mecũq; ſæpius conſidero, quibus tu me potiſſimum officijs, & quibus etiam muneribus ornatum uolueris; facere non poſſum, quin & ipſius oppidi, cuius iam nomen inuitus audiebam, ſæpe recorder, & tibi in ſingulas res, meritaque tua plurimas gratias agam, optemque ut referre etiam aliquando poſſim, quod hercle officij genus, & antea præſtitiſſem, niſi me aduerſa quædam retardaſſent inuitum. Nunc autem, quando occaſio tulit ipſa ſcribendi, cognoſce hominem amantiſſimum tui, in amicitia uerò memorem; atque gratum. Vale. Ticino, Sexto idus Martij. M. D. LXXIX.

LAZARI CHRISTIANI
CLERICI TICINENSIS ORAT. ET EPISTOLARVM
LIBER TERTIVS.

AD ANTONIVM
LONDONIVM MEDIOLANI SENATOREM AMPLISSIMVM, & Ordinarij Magiſtratus Præſidem Præſtantiſſimum.

QVOTIES mihi,uel conſtantis,libereq; mentis cogitatio, uel erecti animi conſilium fuit ſcribendi præſtantibus, & tui ſimilibus immortali gloria uiris, LONDONI Ampliſſime Senator, Preſeſq; preſtantiſſime, ueritus ſemper fui;ne quid tale ſcriberem minus fortaſſe,quàm deceret, egregiè, quo offendiſſe uiderer eorum aliquando dignitatem, & quorum uitam, mores, & res egregiè geſtas litteris mandare conſtituerem; ſubarroganter feciſſe uiderer, & quo olim Gigantes decorati dicuntur, temeri-

tatis uitium incurrerem; cum eas ingenij culpa dete-
ſerem. Hoc mihi ſi antea umquam accidit: tale quip-
piam cogitanti, ſanè grauius, moleſtiuſque accidiſſe
perpendo hoc potiſſimum tempore, cum ad te duxe-
rim mihi ſcribendum, Pręſes pręſtantiſſime, cuius tan-
ta eſt nominis celebritas, & prædicatio uirtutis; non
apud ampliſſimas tantum noſtras Inſubrum Ciuita-
tes; ſed in omni propè Europæ regione; ut ſi ijs acce-
dat rubeſcens quidam, & honeſtus etiam fortaſſe pu-
dor meus difficillima mihi fiat inuentio generis ullius
ad te litterarum, quod grauiſſimæ perſonæ tuæ, uel
meæ potius in te pietati conſentaneum meritò poſſit
uideri. Quod enim tenuis homo fortunæ, nec egre-
gijs adhuc ſatis imbutus eloquentię præceptis ſcribe-
re uelim ad te, Senator, & Præſes præſtantiſſime, qui,
cum reipublicæ cuſtos ſis, propugnator ſalutis, conſi-
lio polles, iudicio uiges, eloquentia præſtas, emines
grauitate, ſummæ auctoritatis es; & tanti ordinis di-
gnitate, tantiq; magiſtratus, cui digniſſimè pręes, am-
plitudine omnes excellis uel animi, uel fortunæ bonis
ornatos noſtri temporis uiros: Hoc planè temerariũ
meritò uideretur; niſi me, quantum tua clariſſimi, &
præſtantiſſimi uiri retrahebat auctoritas; tantundem
inuitaſſet (quaſi mutata perſona) humanitas ſumma,
benignitas incredibilis, modeſtia ſingularis, & æquiſ-
ſimi animi propēſio in bonos, & litteratos uiros, quos
ita complecteris, & amas; ut æquè cunctis tuæ quaſi
maieſtatis faſces ſubmittas. Quorum in numero, ſi ti-
bi, cui maximè cupio, iure aliquo uiderer poſſe aſciſci;
ſic me flagrans honoris, & gloriæ cupiditas incende-
ret ad maiora; ut cum planè triumpharem in eiuſmo-
di ſcriptionum, & aſſiduis ſtudiorum laboribus, talia

fortaſſe

fortaſſe ex me promerem, quæ, cùm maximis animis, ſplendidiſſimisq; ingenijs, ideſt tui ſimilibus delectationi, mihi uerò etiam laudi putarem fore. Quare, cum me, ut tibi hoc, qualecumq; eſt, indicium dederim, iudicij, amoris in te, & pietatis meæ, multa hortata ſint, atque inuitarent præclariſſima ingenij tui monumenta; & tot, tantaq; ampliſſima dignitatum, & uirtutum tuarum inſignia, quæ publicæ famæ præconio celebrantur, peto à te, oro, atque obteſtor, Præſes præſtantiſſime; ut ſi quando rerum mearum aliqua ratio poſſet, uelis apud te, me plurimum cõmendatum habere, & quantum fauoris, & ſtudij, gratia uales, quantumq; ſubſidij extaurandis honeſtis ſtudijs, & ſtudiorum aſſertoribus euehendis ponere ſoles; tantum in unum me, tanta tibi debitum pietate peramanter, & benignè conferre. Et mehercule tibi exponerem libenter paullò altius rationem quandam ſententię meæ: Niſi idipſum anteà Galeatio Brugurę, Ampliſſimo iſtius ordinis patri conſcripto litteris ſignificaſſem, quę cum huius operis noſtri libri ſcilicet ſecundi inſcriptionem præ ſe ferant, & illius argumentum petitionis meę omnibus in promptu ſit; ſuperuacaneũ propterea duxi, eadem de re quicquam ad te ſcribere; ne uiderer illius de me iudicio diffidere, & ampliſſimi, atq; eloquentiſſimi uiri auctoritatis minus honeſtam habuiſſe rationem. Præſertim cum non dubitem fore; quin & tu, Præſes præſtantiſſime, quoties (ut dixi) rerum ferat euentus, uoluntati meæ, in qua iam ineſt uis quædam deſiderij, faueas; adiutorque futurus ſis.

EIDEM.

INclyte Londoni, tua diuis proxima uirtus,
Florentes animi mores, ſtudiumq; iuuentæ
Te claris tollunt aſtris radiantis Olympi;
Et labor inſomnis, recti ſocialis amorque
Iam decus immortale tibi, laudemq; pararunt.
Londoni celſos apices, conuexaq; cœli,
Iam tua pertingit uirtus memorabilis æuo.
Iura magiſtratus ualidis dum præſes habenis
Inſubrum ſolidiq; Senatus facta retractas;
Prēſidis egregio dignus celebraris honore,
Atque Senatoris uiuet per ſēcula nomen,
Nominis ac ampli durabit fama ſuperſtes.
Londoni, lepidæ cui iam fauere Camenæ
Eloquium lætæ chariteſque dedêre ſorores;
Forſitan hic noſter calamus dicetur agréſtis,
Et uerſus eſſent plectro meliore canendi:
Sed tamen hyblēo meditor dum nectare Carmen,
Maius opusq; paro, primi accipe ſemina partus.

AD FRANCISCVM BOZOLAM Patricium Ticinenſem, & apud Mediolani Senatum pro Ticinenſi ciuitate Oratorem.

FAtale, neſcio, quid, tributum eſt mihi, Bozola, Orator præſtantiſſimæ; ut, quæ mente concepi, & à me ſunt cogitata iampridem; non tamen facilè poſ-

ſim,

ſim, aut audeam quandoque proferre; qua de re aperiam tibi nõ inuitus rationem quandam conſilij mei. Nam mehercule; & antequàm ſuperiores extitiſſent horribilis peſtilentiæ, & calamitoſiſſimi temporis tempeſtates; cùm utriq; uerſaremur in ampliſſima ciuitate, teq; cœpiſſem cognoſcere fama ſcilicet allectus uirtutis, & dignitatis tuæ; ex eo in animum induxeram meum, ut inſcriptis meis omnino eſſet indicium aliquod memoriæ meæ nominis tui. Et quamquam ſæpius hoc ipſum anteà tecum uolebam (quoad tua pateretur humanitas) amicè conferre: me tamen hactenus retardauit inuitum pudor meus. Proximè uerò, cùm te Ticinum, & ad domeſticos lares recepiſſes unà cum Londonio, Ampliſſimo Senatore, ordinarijq; magiſtratus Præſide præſtantiſſimo; cogitaremq; quem locum apud eum teneres; quippe qui eſſes in familiariſſimis eius; nec ab ipſo quidem Excell. Mediolani Produce, à quo totus ille pendet, alienus: nolui amplius mihi defuiſſe uideri, ac non libenter demeri doctiſſimum hominem, uirumq; dignitatis, & nominis laude præſtantem. Quare ſcribo ad te Bozola, Orator digniſſimo, coactus ad te ſcribendum à tacita quadam præſtantis ingenij tui, nobiliſq; naturæ, & eius uirtutis uì, quæ cùm oẽs trahat ad amandum, atq; colendum, euexit etiam te ſuo quodam iure ad ampliſſimum iſtũ dignitatis, & honoris gradum; ut tantæ ciuitatis apud tam ſapientem, grauemq; Senatum Orator exiſteres. Quamquàm labores ij, quos in iuuenilibus ſtudijs, & iucundiſſimarum poſtea prælectionum muneribus perfungendis perpeſſus es quotidianos, peneq; tolerabiles in Ticinenſi Gymnaſio noſtro, hoc, & aliud maius uirtutis tuæ præmium ſibi uendicare potuerunt.

LVDOVICO CODACIAE Patricio Ticinenſi.

CVM primùm aliquid ſapere didiciſſem, & quid eſſet, quod deceret in dictis, factiſq; cœpiſſem intelligere; ſemper eius ſententiæ fui; ut nihil remuneratione beneuolentię, nihil viciſſitudine ſtudiorum, officiorumq; iucundius in uita hominis eſſe putarim. Quare, cum tu, uir optime, mihiq; cariſſime, nihil pro me, aut ſtudij, aut diligentiæ prætermiſeris; ut amicitiam conſequerer Antonij Londonij Regij Senatoris clariſſimi, & pręſtantiſſimi Pręſidis; ſi nõ quas debeo, at quas equidem poſſum gratias ago, habebo ſemper, quandoq; etiam fortaſſe relaturus; ſi quid umquam, uel ipſe occaſionis nactus ero, uel optanti rerum feret euentus. Vale, & me de more tuo dilige.

AD PETRVM CAMILLVM CANEM Patricium Leodienſem, Ticini commorantem.

PONVNT plerique nimis magnum ſtudium, multamq; operam in pertractandis arduis admodum, atq; difficillimis ſęculi huius negotijs multas ſibi diuitias coaceruare cupientes; ac ueluti reconditos, atque abditos ad fontes cerui: ſic ij nunquam perpetuam illam cupiditatis ſuæ ſitim explere poſſe uidentur. Tu uerò Canis Nobiliſſime, tamquam alter So-

crates

crates ille Philoſophiæ parens, & uerus imitator Stoicorum in ſola uirtute ſummum bonum ſemper ponẽdum eſſe cenſuiſti: ob eamque cauſam curam tuam omnem in rebus tantùm honeſtis, & cognitione dignis, animoq; iucundis figere ſoles, & locare, & in poſterum quoque melius uideo locaturum. (Hoc enim maximè proprium eſt, & conſentaneum etiam naturæ; ut quo magis quiſpiam aliquo bono delectatur, eo maximè frui perpetuò uelit.) Quod quidem conſiliũ tuum cum laudem uehementer, & probem, magno ipſe emerem; ſi tantum mihi conceſſum eſſet, aut opis, aut certè facultatis: ut honeſto otio frui aliquando poſſem cum dignitate. Nam de me tibi hoc audeo profiteri, & profectò conſumerem libenter tempus omne in ijs maximè rerum ſtudijs, quibus uel ſecundæ res ornari, uel aduerſæ quoq; iuuari ſolent. Quod uerò mihi reliquum eſſet uitæ curſus à precibus perſoluendis libenter tecum, & cum tui ſimilibus præſtãtibus uirtute, & omni laude uiris traducendum putarem; Facit enim cum ipſius domus tuæ ſplendor, tum mehercule ingenuitas animi, & ingenij tui; ut conuictum, & conſuetudinem tuam uehementer expetant omnes. Itaque facilè, eſt uidere, non ſolùm ampliſſimos huius ciuitatis uiros uerſari aſſiduè domi tuæ, ac de præclariſſimis ingenij tui monumentis honorificè ſemper loqui, & ſentire; ſed longinquas etiã gentium nationes ſolenni te ubiq; pręconio celebrare, uel ea potiſſimum ratione credendum eſt; quod muſicos omnes, litterarumque ſtudioſos, uel Gallos, uel Belgas, uel cuiatis ſint regionis urbem noſtram fato aliquo petentes hoſpitio unus excipis amanter, & liberaliſſimè tractas. Quare, cum latiſſimè pateat

tua

tua magnanimitas animi, & nominis ſplendor illuſtris, non longius mihi oratione mea progrediendum putaui.

IVLIO PAVLO TVSCANO CVRIAE Epiſcopalis Vigleuenenſis Vicario, & Archidiacono.

CVM mihi nonis Octobris Stephanus Ferrarius, hominem, quem noſti, cùm officij plenum; tum utriuſque noſtrum amantiſſimum, rediddiſſet à te litteras deſiderij, & amoris plenas; tantum equidem ex eo cœpi uoluptatis; & nihil mihi poſt hominum memoriam gratias, ſed ne tempore quidem ipſo opportunius accidiſſe uideatur, quid tu? homo doctiſſimus, & non ſolùm uirtutis; ſed etiam, quæ uirtutis præmia æſtimantur, honoris, & dignitatis laude cumulatus, tam amanter ad me ſcribendum eſſe cogitaſti? Hoc planè ſingulari modeſtiç tuç tribuendum eſſe cenſeo. Nam, etſi, antea mihi perſuaſum erat à te diligi, qui mutuo te, non obſcuris in me meritis; tum ob præſtantem ad ineundas officijs amicitias naturæ tuç pro penſionem diligenter obſeruabam, colebamq; ſtudioſè: non tamen mihi tantùm promiſiſſem de tua in me uoluntate; ut tu tali, ac tam ptæclaro amoris ſigno tuis me litteris deuinxiſſes. Sed quando ita eſſe uoluiſti, agnoſco humanitatem tuam, & amabo ſemper dulcem, & optatum amorem tuum, qui te ad ſcribendum

dum impulit. In litteris uerò tuis plurimùm mihi certè ineſſe uiſum eſt ueteris illius Romani ſalis. Sunt enim ita ornatæ, & eleganter ſcriptę; ut tibi mehercule Appollo ipſe dictaſſe uideatur. Epiſtolárum mearum librum tantopere à te probari, uehementer gaudeo, qui, ſi eſt talis, qualem tibi uideri ſcribis, me quoque aliquid eſſe non negabo; ſin aliter, recuſare minimè poſſum; quin quantum de libro ipſo tantundem de mei iudicij fama detrahatur. Cęterum, quod me ad latinè ſcribendi exercitationem tam amanter hortaris; quamquàm currentem certè incitas: id tamen ego in eam partem accipio; ut ex ui quadam amoris in me tui profectum eſſe uedeatur. Quare, ago tibi quàm maximas gratias, & conſeruabo mihi ſemper ſuauem memoriam nominis tui. Vale.

IVLIVS PAVLVS TVSCANVS

Lazaro Chriſtiano S. P. D.

TVAE me litteræ, tui erga me propenſi animi, & beneuolentiæ teſtes, mirum immodum delectarunt. At epiſtolarum librum non minus ornatè, quàm eleganter conſcriptum ſumma cum delectatione perlegi, quòd mihi inſigne teſtimonium præbuit tuæ, & modeſtię, & eruditionis. In ijs enim epiſtolis relucet quædã ſingularis humanitas, Chriſtiana pietas, ingenijque tui non mediocris fœcunditas, quæ

te amabilem reddunt; quapropter; ut tibi plurimùm gratulor, te ad uirtutes pleno gradu accedere, ita etiam, atque etiam hortor; ut te ad latinè ſcribendum exerceas Auguror enim fore (ſi, ut cœpiſti, perges,) cum tibi iuueni adhuc longa ætas ad omnia ſuppetat; ut eloquentia, & ſapientia facile excellas. Ceterum, quòd in me gratus uideri ſtudes, non eſt; quod labores; Nulla enim mea extiterunt in te officia, aut illa adeo exigua; ut maiora tibi, tuęq; uirtuti præſtare debuerim; Nam, & ſtudium erga me tuum, & probitas, ac optimi mores, omnia à me ſuo quodam iure poſtulare uidentur. Quod reliquum eſt, de tuo propenſo erga me animo, maximas tibi habeo gratias, & quantum in me erit, quandocumque occaſio dederit, nihil prætermittam, ut intelligas; me tui amantiſſimum eſſe, tuoq; erga me amori reſpondere. Cura, ut valeas. Vigleuani. Quincto kal. Octobris. M. D. LXXVIII.

AD PETRVM ANTONIVM CVRTIVM Patricium Ticinenſem, & Ciuitatis Quæſtorem.

ME quidem certè monuit mea peruetus in te obſeruantia multis orta iampridem ex officijs erga me tuis, ut omnino aliquid eſſe uellem ad te litterarū mearum: quibus et me tibi amiciſſimum eſſe cognoſceres, & poſteritas etiam cognitam haberet memoriam meam meritorum tuorum. Non enim me præ-

terit,

terit, quantæ tibi curæ ſemper fuerit honos, & dignitas mea; uel quàm honorificè fueris de mè ſæpe loquutus cum ampliſſimis ciuibus; qui poſtea de me cęperunt optimè cogitare, & opera etiam mea uti amiciſſimè; ſum mihi ipſe teſtis. Sed, tu cum me tui memorem, gratumque eſſe cognoſcas; non deſpero fore, quin augeas etiam uoluntatem mei deinceps ornandi tuis laudibus; quæ apud omnes tantum mihi ualere, arbitror, quantum tu, uir bonus cum ſis, ſumma in rebus gerendis prudentia præditus, atque omni laude dignus, omnia etiam de nobis à certo ſenſu, & uero iudicas; quod multi ne faciant liuore, & maleuolentia impediuntur. Sed, neque aliud profeſſos eſſe legimus Curtios ipſos maiores tuos, quàm de patria ſemper benemereri, Conſuluiſſe Reipub. amicis, cognatis, affinibus, ac omni prorſus hominum generi, ſtudio, gratia, conſilio, & labore profuiſſe, imitantes Curtium illum prænomine Marcum Romanum adoleſcentem, & animo, & genere nobiliſſimum, qui pro patriæ ſalute non dubitauit unus audacter mortem ſubire. Elapſis enim ſingulis ætatibus ſinguli prope fuere Curtij Iureconſulti, bonarumq; artium doctores; Vnde factum iam erat in Ciuitate noſtra tritum ſermone prouerbium, quot Curtij, tot Iureconſulti, qui ad primarias huius ampliſſimi Gymnaſij noſtri ſedes aſcenderint, ſummaq; auditorum frequentia legerint, docuerint; ac ſummos etiam huius Reipublicæ magiſtratus magnificentiſſime geſſerint. Quorum nominis gloriam ſapienter tu quidem hactenus conſeruas; & cum tibi adhuc iuueni multa ſuppetere poſſit ętas ad maiora; plane uideo fore; ut eam ipſam multò reddas auctiorem.

AD MATHAEVM CVRTIVM Benedicti F. in ipſius interitu parentis.

QVAMQVAM leuiora putantur ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata,& præparata inferuntur : tamen improuiſus ipſe, grauis,& inopinatus parẽtis tui caſus, Mathęe ſpectatiſſime, tantam perturbationem mœroremq; attulit uniuerſę ciuitati, bonis omnibus, acfinitimarum etiã ciuitatũ,& locorum hominibus;ut oẽs trahat in admirationem ſui. Mihi quidem, qui eum plurimi ſemper feci, coluiq; ſtudioſiſſimè, tantę mehercule confuſioni eſt, atque dolori;ut cum nulla adhuc me ratio conſoletur, uidear fortaſſe ſcribendo augere dolorem tuum, quem conſolando leuare debebam. Ecquid enim cauſæ eſt cur non grauiter, & moleſtiſſimè feram accerbiſſimum interitum tanti uiri, & parentis tui interitum? Cur non illius manes illuſtri pietate commendem?quem uiuentem vnicè dilexi,& colui ciuem egregium ętate,opibus,clientelis, & ſummorum uirorum, maximèq; Cardinaliũ ampliſſimorum affinitate florentem? qui meherculè ita uixit,ut ita mori numquam debuerit. Sed tamen, mi Mathęe,quando ita caſus,& fortuna, quæ rebus humanis dominari uidetur, tulit, uel Deus potius Opt. Max. id ita fieri permiſerit : & illius uita neque lacrymis, nèque męroribus, nec diutiſſimè etiam dolendo ad huius lucis uſuram reuocari poſſit, conſoletur te ea ratio, quæ omnibus eſt communis, ei, etiam, ſi hoc tempore diem ſuum minimè obijſſet : paucis tamen poſt diebus præſertim ſeneſcenti moriendum fuiſſe; quia ho-

mo natus erat. Nec eſt aliud, quod tibi tam grauem, tamque acerbum paterni obitus dolorem depellere poſſit. Quare fac aliquando te colligas, adoleſcentemque præbeas egregia animi fortitudine, atque ſapientia ad tolerandos dominantis fortunæ caſus. Tibi patrimonium ſatis amplum relictum eſt, & illuſtris memoria nominis ſui. Habes cognatos, & affines ampliſſimos ciues propè innumerabiles, qui tibi in rebus tuis prudenter adminiſtrandis optimi duces erunt. Sed unum in primis Petrum Antonium Curtium tui, rerumque tuarum maximè ſtudioſum, tamquam optimum parentem, fac diligenter obſerues.

CLAVDIO ALBANO PATRITIO

Bergomenſi, & Iureconſulto.

CVM Bortholomæo Cagnolio præſtantis ingenij, ſummæ probitatis, & peracris iudicij uiro, qui Ticini cauſam agit diligenter ampliſſimi Cardinalis Albani, tibi agnatione propinqui: ſumma mihi, atque peruetus neceſſitudo eſt, multis eius officijs, & meis mutuis ſanctiſſimè conſtituta. Hoc ego, cum uno utar omnium familiariſſimo, participem ſemper eum eſſe uolui ſtudiorum, & actionum mearum. Itaque, cum proximè dixiſſem, me eſſe litteris mandaturum indicia quædam laborum, & uigiliarum mearum; is qua te obſeruantia colit, qua pietate Cardinalem ipſum,

à quo

à quo totus ipſe pendes, proſequitur, ac ſuſpicit; quęſiuit à me num' etiã uellem aliquid ad te? prężertim cũ præter clariſſimum familiæ nomen in orbe terrarum, & maximas principum uirorum clientelas; omnis etiam laudandarum artium, & maximè legum, iudiciorumq́; ſcientia conſpicuus ſis, & de litteris, ac litterarum ſtudioſis optimè etiam ſentire, ac benemereri conſueueris. Ego uerò (quòd ſibi etiam affirmaui,) etſi hoc ipſum anteà cogitaram mihi libenter eſſe faciendum, cum iam me tibi fama uirtutis, & probitatis tuæ totum allexerit ad amandum, atque colendum: tamen uel hoc uno fideliſſimi, atque amantiſſimi uiri teſtimonio, atque auctoritate commotus auidiſſimè meis amplector litteris te uirum ègregium, tuamque amicitiam ſanctiſſimè mihi conſeruandam ſtatuo. Vale.

AD HESTORREM VICECOMITEM

Virum Illuſtrem.

POSTEAQVAM mihi gratus, & iucundus obtigit ad urbem reditus; etſi plurimùm cœpi uoluptatis ex priſtino congreſſu optimorum ciuium, ornatiſſimorumq́; uirorum, quos mihi anteà conciliarat amicos, uel laudabilis uirtus ipſorum, uel opinio etiam fortaſſe nonnulla ſtudiorum, & laborum meorum: doleo tamen interdum, quòd optatiſſimo fructu careã iucun-

iucundiſſimæ conſuetudinis tuæ. Quam me fefellit opinio quandoq; mea, putaram enim, qui te magnum equitem audieram ab adoleſcentia res bellicas ſtrenuè, fortiterq; geſſiſſe; de militia tantum ſapere; ſed excellis etiam in omni genere doctrinæ. Et (quod me magis mirari cogit) hiſtoriam, ideſt uitæ magiſtram, quæ quemuis hominem in omni actione ſapientem reddit; ita tractas, ut cum ad eam addas etiam incredibilem Philoſophiæ ſpeculationem; omnino liceat ab uno te, rerum omnium exempla petere.

STEPHANO FERRARIO

Vigleuenenſi, Presbytero venerabili.

VALDE me ſcilicet oblectat officij mei recordatio; quod quanti ego te, quanti bonos omnes faciam, ſemperque fecerim; aliquando poſſes, uel abſens experiri. Nec mehercule aliter mihi de te umquam uenit in mentem cogitare; cuius amicitiam noui certè ſingularem, cuius conſuetudo iucundiſſima mihi ſemper fuit, & ſermo quidem grauis; ſed nec minori cum familiaritate coniunctus: ô Dij immortales, quàm ego opto congreſſum noſtrum? Vtinam, & te aliquando poſſem iſtinc extrudere ad huius lucem ciuitatis noſtræ. Viueres enim mecum coniunctiſſimè, uiueres in ſtudijs communibus. Nam, de fratre omnia facillimè, plura re præſtiti (qui meus amor in te eſt) quã

tibi præſens auſus eram de officio meo polliceri. Vale, & illum ad me quamprimùm mitte. Ticini IIII idus Nouembris. M. D. LXXVIII.

AD FRANCISCVM AVEGNIVM Curiæ Epiſcopalis Ticinenſis Auditorem.

ARISTOTELES, Princeps ille Philoſophorum excepto Platone, uir quidem ſtudio, atque doctrina prẹſtantiſſimus, penèque diuino, in eius præſertim philoſophiæ libris, quam Ethicem, ideſt moralem inſcripſit, inter multa atque præclara; quæ grauiſſimè, copioſiſſimèq; diſeruit ad Egregium ciuem optima uirtute, & ſuauiſſimis moribus inſtruendum plurimùm ſemper commendaſſe dicitur rebus in omnibus mediocritatem; Vel cum de honoris, & magnarum huius ſẹculi rerum ambitu, deque earundem appetitus uacuitate (ſit enim appellat) loqueretur, habitum quendam medium inter illorum extrema ſcripſit ineſſe, nomine tamen carentem, quem, ꝙ in mediocritate conſiſteret, laudabilem prorſus dicebat. Hoc autem, modeſtiam, ſeu potius temperantiam interpreteres, quot quot ipſe legi, ſapienter meo quidem iudicio ſunt opinati. Sed, & Romanus Orator cum ea de honeſtatis parte pertractaret; in qua ornatus quidam ineſſe debet uitæ; temperantiæ rerum quendam modum adhibuit, ideſt modeſtiam; in qua decorum illud contineri ſcripſit, cuius tanta eſt uis, ut numquā

ab honeſto

ab honeſto queat ſeparari. Huius nunquam ſatis laudatæ uirtutis imago; Auegni nobiliſſime, atque integerrime, ſi in quo umquàm laudabili uiro, aut uiſa, aut reperta fuit, Crede mihi (abſit omnis aſſentationis ſuſpitio) eam in uno te potiſſimum elùcere. Quando præ te fers ingènuitatem quandam; & expreſſam effigiem probitatis, & totius humanitatis exemplar; ita ut tuo tantum vultu modeſtiſſimo à bonis omnibus gratiam facillimè ineas. Moderationis, & humanitatis uirtus, Auegni, & iam multos olim fama illuſtres reddidit Romanos, & in Chriſto ipſo, ſanctisque omnibus fulſit egregiè, quam, & princeps ingenij, doctrinæque Plato triplicem poſuit: alteram, ut cum nobis obuios libenter ſalutamus amicos; alteram, cum quis opem pro uiribus affert calamitate laboranti; Tertiam uerò, cum benignus quiſpiam aliorum lætatur conſuetudine hominum præſertim ſtudioſorum. O præclaram diuiniſſimi uiri ſententiam, in uno te, Auegni certiſſimè comprobatam? Ecquos tu uiros pro tua humanitate non amanter ſalutas? Ecquibus tu non conaris ſtudio, gratia, atq; etiam labore prodeſſe? Et quorum non amas conſuetudines doctorum hominum, uirorumq; probitatis amantium? Sed quid ego tantos uideor facere conatus in unius tantum tuæ prædicatione uirtutis? quaſi non ſuæ etiam laudes tribui meritò poſſint Iuſtitiæ; fidei, æquitati, prudentiæ. De iuſtitia primùm, quæ mater dicitur æqui, & boni, ac ceterarum etiam regina uirtutum, ſi, ut, pręclarè ſcripſit Ariſtoteles, eum iuſtum appellari licet, qui legitimè operatur; ſicut contrariè legum tranſgreſſor, iniquus; cum iuris, & legum ſcientia excellas, & grauiſſimarum ſemper rerum cauſas æquiſſimis

diſcernendo legibus pertractes, ac dijudices; planè conſtat iuſtitiæ in te plurimum eſſe oportere. Fides autem, cum ipſius ſit fundamentum iuſtitiæ, ſatis intelligitur eiuſdem etiam ubique comitem eſſe, quam tibi ſemper in promiſſis, dictis, atque conuentis tuis omnibus conſtantiſſimè ſeruas. Aequitas quoq; tua ſatis perſpicitur, cum uel perfecta quædam ratione leges, ſtrictumq; ius interpretaris; uel mira animi moderatione, æquo animo fers quæcumque præter opinionem accidunt. Quo uerò ad prudentiam, cuius eſt ad rationis normam, quæ quis cogitat, quæque agit uniuerſa dirigere; ac nihil præter rectum, & laudabile cogitare; optimè ſciunt omnes uerſari te aſſiduè in optimis tantum ſcientiarum ſtudijs, & in rebus honeſtis, uel ad benè, beatèq; uiuendum neceſſarijs. Quam quàm omnes, qui te uiro optimo, & homine doctiſſimo uſi ſunt in huius Epiſcopalis curiæ cauſis hoc ipſum debitum uirtuti tuæ teſtimonium reddunt illuſtrius. Sed, ego hæc pauca attigi; ut tu, quem mihi perpetuò colendum eſſe duxi; argumentum aliquod haberes amoris in te, deſiderij, & obſeruantiæ meæ.

AD IOANNEM BOVVLVM Præpoſitum, & Epiſcopi Ticinenſis Oeconomum.

GREGORIVS, cognomento magnus, luculentiſſimus ille ſacrarū litterarū interpres, & ſummi Pontificis

tificis dignitate,ſummęq; ſanctitatis honore ſęculorũ memoria digniſſimus; in ſuis piè, & luculenter ſcriptis præclarum quoddam grati hominis exemplum inſeruiſſe, mihi uiſus eſt; cum diceret; tantò quempiam humaniorem, atque in remunerando promptiorem ex munere eſſe opportere; quantò ſe obligatiorem agnoſceret in reddenda ratione. Quòd mihi ſæpius conſideranti; cum tu me multis nominibus, & uerisſimis auctoritatis, & ſententiæ tuæ teſtimonijs ornatum pro loci, aut temporis ratione ſemper uolueris; relinquitur meum conſilium iſtud honeſtum,& gratum etiam fortaſſe, ut humanitati tuæ ſentiam me obnoxium perpetuò fore. Et quamquàm uoluntate quidem certè mihimet ipſe, uel tibi potius ipſi ſatisfacio; re tamen ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quòd nullam partem meritorum tuorum erga me non modò referenda; Sed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum. Sed num tu, Ioannes humaniſſime,tam præclaram apud principem uirum de bonis omnibus benemerendi occaſionem nactus; propterea tibi fortaſſe ab officio deſiſtendum putabis; quòd mihi tenuis homini fortunæ nulla detur referendi facultas? Noli, amabo te, à te ipſo umquam deſciuiſſe uideri: Sed quod facis, fac tibi putes perpetuò eſſe faciendum,ſi cupis poſteritati relinquere memoriam nominis tui ſempiternam. Vale.

CAMILLO SCAPHENATO.

QVOD ad me recens, atque præclarum miſeris exemplum orationum tuarum, quas proximè litteris mandaſti ad decus, & immortalem gloriam nominis tui, feciſti tu quidem nihil alienum, uel à dignitate tua, uel à mea item in te uoluntate. Inſigne enim amici animi, & amoris ſignum dediſti: Sed ego etiam te, & colo ſtudioſiſſimè, & mutuum tibi lucubrationis meæ munus conabor certè quandoq; referre. Et mehercule, cum propter moleſtiſſimas occupationes meas te multos iam dies minimè potuiſſem uidere; uix amplius deſiderium tui perferre poſſe uidebar. Nunc autem, cum tu me tam precioſo orationum tuarum munere affeceris; in quibus ſculptam aſpexi imaginem ſolertis animi; & excellentis ingenij tui, perferam omnia moderatius, & aſſidua illorū lectione magna perfruar uoluptate. Ita enim delector elegantia ſcriptorum tuorum; uel ita potius admiror ſplendorem admirabilis eloquentiæ tuæ, nihil mihi ut eſſe poſſit illuſtrius. Vale.

AD HIERONYMVM TORTVM Patricium Ticinenſem, & Sancti Mauritij & Lazari Equitem.

CVM præclarè Socrates, Plato, Ariſtoteles, Plutarcus, multiq; præterea uiri ingenio, doctrinaq; præſtan-

prçſtantiſſimi memoriæ conſignarint, naturam admirationem quandam inſcripſiſſe rebus præſertim ijs, quæ à ſenſibus noſtris paullò remotiores ſunt, dubitare minimè poſſum; quin tibi mirum fortaſſe uideatur, quod ego dederim hoc ad te litterarum: præſertim cum nulla hactenus mihi neque amicitia, neque conſuetudo, nec ullius omnino communicatio ſermonis tecum interceſſerit. Sed num tam parui æſtimanda uirtus; ut neque de præſtanti quopiam doctrina uiro & ſcribere, & bene etiam ſentire poſſimus: niſi eum ipſum familiariter, & quotidiano quodam uſu cognouerimus? quaſi non tanquàm præſentes uenerëmur eundem Platonem, Ariſtotelem, Xenophontem, innumerabileſque alios ſapientiæ amatores. Equidem ipſe iampridem noui te, & plurimi ſemper mea ſponte feci egregium ciuem opibus, ætate, honoribus, & dignitate florentem; qui tamen tecum ne ſemel quidem ſum colloquutus. Tertius enim mihi, & propè quartus agitur annus; cum te ſingulari quodam meo fato prælegentem audiui in ſumma celebritate Ticinenſis Academiæ noſtræ ſummo lectiſſimorum ciuium, illuſtriumque uirorum, & Academicorum conſeſſu tanta omnium attentione, uel tanta potius eloquentia, atque pronuntiandi lepôre, ut planè Tullius alter uiderere; ex eo itaque cępi te ſummo ſemper loco habere, & æternum tuæ laudis præconium meritò honore proſequi vehementer optabam. Vale.

CONSTANTINO LVCCAE ARTIVM, & Medicinæ profeſſori in Ticinenſi Gymnaſio.

LIBERALISSIMI hominis, & amantiſſimi ſemper fuit, Conſtantine doctor egregie, idemque humaniſſime, ſerere beneficium, ut ex eo fructum metere aliquando poſſet, cuius quidem memoriam aut tempore, aut die definire, nemo umquam ſapiens ęquũ duxit eſſe. Itaq; tu, cuius erga me beneuolẽtiam pluribus antea rerum argumẽtis facilè perſpexeram, cum proximè etiam gratiſſimę liberalitatis, ſummique officij hominis amantiſſimi ratione impulſus eo maximo me beneficio affeceris ut (quod numquã antea mihi obtigerat exoptanti) inſinuare poſſem in conſuetudinem, atque congreſſum Galeatij Bruguræ clariſſimi iudicio uiri, maximiſque in rebus probatiſſimi, Inſubrum præſertim Senatoris, & ab ampliſſimo uiro gratiam aliquam fortaſſe inire; Cupio uidelicet ex eo te uberrimos, & lectiſſimos hoſce metere fructus memoriæ meæ nominis tui ſempiternæ. Vale.

AD FRANCISCVM LVNATVM Patricium Ticinenſem multarum æqueſtrium, & Salis cenſus Ticini Hiſpaniarum Regis nomine quęſtoré.

ANIMO excelſo qui ſunt, & ad altiora quędam, ac magnificentiora nati uidentur; omnem ſuæ men-

tis

tis agitationem in ampla quadam, & ſplendida magnarum rerum propoſitione figere, & locare conſueſcunt. Itque tu, Lunatè clariſſime, cuius animus amplus, & in Rempublicam noſtram ſemper egregius fuit, non ſolùm integerrimè, pręclariſſimèq; ſemper geſſiſti magnificentiſſimum iſtud Regij quęſtoris munus iampridem tibi pro plurimis, maximiſque tuis, & maiorum tuorum meritis à tanto Hiſpaniarum Rege delato: ſed nullis umquàm aut ſumptuũ, aut laborum generibus peperciſti; quin magnificentiſſimo ſemper hoſpitio omnes inuitaueris, & exceperis Principes uiros; (Ita, ut patria tibi noſtra plurimum debuerit, perpetuòque debere uideatur) magnanimoſque ipſius Regis Herôes, quibus ſępe contigit haſce noſtras Italiæ regiones peragrare. Sed unum potiſſimum magnum illum Caſtullonenſium commendatorem Mediolani producem ſuperioribus annis tanto ſplendore, tam magnifico ſæpius apparatu in domum tuam excepiſti, honorificèq; tractaſti; ut tantis tuę liberalitatis officijs prope deuinctus tanti te ipſe mutuò fecerit, ut eorum uoluntatibus, qui tibi & ſumma, & perueteri neceſſitudine coniuncti ſunt, facilè ſe æquarit amor ſuus: obeamq; cauſam Mediolano diſcedẽs Hannibalem filium tuum ſecum duxerat, quem omnibus ſtudijs, & beneficijs quàm ornatiſſimum domum reduxiſſet: niſi pręter opinionem accidiſſet; ut maximo cum totius Reipublicæ Chriſtianæ detrimento in calamitoſiſſimo illo Flandriæ bello perijſſet. Quamobrẽ, cum Principum excellentiſſimorum, uel tanti potius Hiſpaniarum Regis gratię ineundę cauſa magnificentiſſimè te, præclariſſimèque ſemper geſſeris, planè dubitandum non eſt, quin iam ad ſummum gloriæ cu-

AD MATHAEVM CVRTIVM
Benedicti F. in ipſius interitu parentis.

QVAMQVAM leuiora putantur ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata,& præparata inferuntur : tamen improuiſus ipſe, grauis,& inopinatus parētis tui caſus, Mathęe ſpectatiſſime, tantam perturbationem mœroremq; attulit uniuerſę ciuitati, bonis omnibus, ac finitimarum etiã ciuitatũ,& locorum hominibus;ut oẽs trahat in admirationem ſui. Mihi quidem, qui eum plurimi ſemper feci, coluiq; ſtudioſiſſimè, tantę mehercule confuſioni eſt, atque dolori;ut cum nulla adhuc me ratio conſoletur, uidear fortaſſe ſcribendo augere dolorem tuum, quem conſolando leuare debebam. Ecquid enim cauſæ eſt cur non grauiter, & moleſtiſſimè feram accerbiſſimum interitum tanti uiri, & parentis tui interitum? Cur non illius manes illuſtri pietate commendem?quem uiuentem vnicè dilexi,& colui ciuem egregium ętate,opibus,clientelis, & ſummorum uirorum, maximèq; Cardinaliũ ampliſſimorum affinitate florentem? qui mehercule ita uixit,ut ita mori numquam debuerit. Sed tamen, mi Mathęe,quando ita caſus,& fortuna, quæ rebus humanis dominari uidetur, tulit, uel Deus potius Opt. Max. id ita fieri permiſerit : & illius uita neque lacrymis, nèque męroribus, nec diutiſſimè etiam dolendo ad huius lucis uſuram reuocari poſſit, conſoletur te ea ratio, quæ omnibus eſt communis, ei, etiam, ſi hoc tempore diem ſuum minimè obijſſet : paucis tamen poſt diebus præſertim ſeneſcenti moriendum fuiſſe; quia ho-

mo natus erat. Nec eſt aliud, quod tibi tam grauem, tamque acerbum paterni oblitus dolorem depellere poſſit. Quare fac aliquando te colligas, adolecentemque prębeas egregia animi fortitudine, atque ſapientia ad tolerandos dominantis fortunæ caſus. Tibi patrimonium ſatis amplum relictum eſt, & illuſtris memoria nominis ſui. Habes cognatos, & affines ampliſſimos ciues propè innumerabiles, qui tibi in rebus tuis prudenter adminiſtrandis optimi duces erunt. Sed unum in primis Petrum Antonium Curtium tui, rerumque tuarum maximè ſtudioſum, tamquam optimum parentem, fac diligenter obſerues.

CLAVDIO ALBANO PATRITIO

Bergomenſi, & Iureconſulto.

CVM Bortholomęo Cagnolio pręſtantis ingenij, ſummæ probitatis, & peracris iudicij uiro, qui Ticini cauſam agit diligenter ampliſſimi Cardinalis Albani, tibi agnatione propinqui: ſumma mihi, atque peruetus neceſſitudo eſt, multis eius officijs, & meis mutuis ſanctiſſimè conſtituta. Hoc ego, cum uno utar omnium familiariſſimo, participem ſemper eum eſſe uolui ſtudiorum, & actionum mearum. Itaque, cum proximè dixiſſem, me eſſe litteris mandaturum indicia quædam laborum, & uigiliarum mearum; is qua te obſeruantia colit, qua pietatę Cardinalem ipſum,

à quo

à quo totus ipſe pendes, proſequitur, ac ſuſpicit; quęſiuit à me num' etiã uellem aliquid ad te? pręſertim cũ præter clariſſimum familiæ nomen in orbe terrarum, & maximas principum uirorum clientelas; omnis etiam laudandarum artium, & maximè legum, iudiciorumq; ſcientia conſpicuus ſis, & de litteris, ac litterarum ſtudioſis optimè etiam ſentire, ac benemereri conſueueris. Ego uerò (quòd ſibi etiam affirmaui,) etſi hoc ipſum anteà cogitaram mihi libenter eſſe faciendum, cum iam me tibi fama uirtutis, & probitatis tuæ totum allexerit ad amandum, atque colendum: tamen uel hoc uno fideliſſimi, atque amantiſſimi uiri teſtimonio, atque auctoritate commotus auidiſſimè meis amplector litteris te uirum ęgregium, tuamque amicitiam ſanctiſſimè mihi conſeruandam ſtatuo. Vale.

AD HESTORREM VICECOMITEM

Virum Illuſtrem.

POSTEAQVAM mihi gratus, & iucundus obtigit ad urbem reditus; etſi plurimùm cœpi uoluptatis ex priſtino congreſſu optimorum ciuium, ornatiſſimorumq; uirorum, quos mihi anteà conciliarat amicos, uel laudabilis uirtus ipſorum, uel opinio etiam fortaſſe nonnulla ſtudiorum, & laborum meorum: doleo tamen interdum, quòd optatiſſimo fructu careã iucun-

iucundiſſimæ conſuetudinis tuæ. Quam me fefellit opinio quandoq; mea, putaram enim, qui te magnum equitem audieram ab adoleſcentia res bellicas ſtrenuè, fortiterq; geſſiſſe; de militia tantum ſapere; ſed excellis etiam in omni genere doctrinæ. Et (quod me magis mirari cogit) hiſtoriam, ideſt uitæ magiſtram, quæ quemuis hominem in omni actione ſapientem reddit; ita tractas, ut cum ad eam addas etiam incredibilem Philoſophiæ ſpeculationem; omnino liceat ab uno te, rerum omnium exempla petere.

STEPHANO FERRARIO

Vigleuenenſi, Presbytero venerabili.

VALDE me ſcilicet oblectat officij mei recordatio; quod quanti ego te, quanti bonos omnes faciam, ſemperque fecerim; aliquando poſſes, uel abſens experiri. Nec mehercule aliter mihi de te umquam uenit in mentem cogitare; cuius amicitiam noui certè ſingularem, cuius conſuetudo iucundiſſima mihi ſemper fuit, & ſermo quidem grauis; ſed nec minori cum familiaritate coniunctus: ò Dij immortales, quàm ego opto congreſſum noſtrum? Vtinam, & te aliquando poſſem iſtinc extrudere ad huius lucem ciuitatis noſtræ. Viueres enim mecum coniunctiſſimè, uiueres in ſtudijs communibus. Nam, de fratre omnia facillimè, plura re præſtiti (qui meus amor in te eſt) quã

tibi

tibi præſens auſus eram de officio meo polliceri. Vale, & illum ad me quamprimùm mitte. Ticini IIII. idus Nouembris. M. D. LXXVIII.

AD FRANCISCVM AVEGNIVM Curiæ Epiſcopalis Ticinenſis Auditorem.

ARISTOTELES, Princeps ille Philoſophorum excepto Platone, uir quidem ſtudio, atque doctrina pręſtantiſſimus, penèque diuino, in eius præſertim philoſophiæ libris, quam Ethicem, ideſt moralem inſcripſit, inter multa atque præclara, quæ grauiſſimè, copioſiſſimèq; diſeruit ad Egregium ciuem optima uirtute, & ſuauiſſimis moribus inſtruendum plurimùm ſemper commendaſſe dicitur rebus in omnibus mediocritatem; Vel cum de honoris, & magnarum huius ſęculi rerum ambitu, deque earundem appetitus uacuitate (ſit enim appellat) loqueretur, habitum quendam medium inter illorum extrema ſcripſit ineſſe, nomine tamen carentem, quem, ꝙ in mediocritate conſiſteret, laudabilem prorſus dicebat. Hoc autem, modeſtiam, ſeu potiùs temperantiam interpretes, quot quot ipſe legi, ſapienter meo quidem iudicio ſunt opinati. Sed, & Romanus Orator cum ea de honeſtatis parte pertractaret, in qua ornatus quidam ineſſe debet uitæ, temperantiæ rerum quendam modum adhibuit, ideſt modeſtiam, in qua decorum illud contineri ſcripſit, cuius tanta eſt uis, ut numquã

ab honeſto

ab honeſto queat ſeparari. Huius nunquam ſatis laudatæ uirtutis imago; Auegni nobiliſſime, atque integerrime, ſi in quo umquàm laudabili uiro, aut uiſa, aut reperta fuit, Crede mihi (abſit omnis aſſentationis ſuſpitio) eam in uno te potiſſimum elucere. Quando præ te fers ingenuitatem quandam, & expreſſam effigiem probitatis, & totius humanitatis exemplar; ita ut tuo tantum uultu modeſtiſſimo à bonis omnibus gratiam facillimè ineas. Moderationis, & humanitatis uirtus, Auegni, & iam multos olim fama illuſtres reddidit Romanos, & in Chriſto ipſo, ſanctiſque omnibus fulſit egregiè, quam, & princeps ingenij, doctrinæque Plato triplicem poſuit: alteram, ut cum nobis obuios libenter ſalutamus amicos; alteram, cum quis opem pro uiribus affert calamitate laboranti; Tertiam uerò, cum benignus quiſpiam aliorum lætatur conſuetudine hominum præſertim ſtudioſorum. O præclaram diuiniſſimi uiri ſententiam, in uno te, Auegni certiſſimè comprobatam? Ecquos tu uiros pro tua humanitate non amanter ſalutas? Ecquibus tu non conaris ſtudio, gratia, atq; etiam labore prodeſſe? Et quorum non amas conſuetudines doctorum hominum, uirorumq; probitatis amantium? Sed quid ego tantos uideor facere conatus in unius tantum tuæ prædicatione uirtutis? quaſi non ſuæ etiam laudes tribui meritò poſſint Iuſtitiæ, fidei, æquitati, prudentiæ. De iuſtitia primùm, quæ mater dicitur æqui, & boni, ac ceterarum etiam regina uirtutum, ſi, ut, pręclarè ſcripſit Ariſtoteles, eum iuſtum appellari licet, qui legitimè operatur; ſicut contrariè legum tranſgreſſor, iniquus; cum iuris, & legum ſcientia excellas, & grauiſſimarum ſemper rerum cauſas æquiſſimis

diſcernendo legibus pertractes, ac dijudices; planè conſtat iuſtitiæ in te plurimum eſſe oportere. Fides autem, cum ipſius ſit fundamentum iuſtitiæ, ſatis intelligitur eiuſdem etiam ubique comitem eſſe, quam tibi ſemper in promiſſis, dictis, atque conuentis tuis omnibus conſtantiſſimè ſeruas. Aequitas quoq; tua ſatis perſpicitur, cum uel perfecta quædam ratione leges, ſtrictumq; ius interpretaris; uel mira animi moderatione, æquo animo fers quæcumque præter opinionem accidunt. Quo uerò ad prudentiam, cuius eſt ad rationis normam, quæ quis cogitat, quæque agit uniuerſa dirigere; ac nihil præter rectum, & laudabile cogitare; optimè ſciunt omnes uerſari te aſſiduè in optimis tantum ſcientiarum ſtudijs, & in rebus honeſtis, uel ad benè, beatèq; uiuendum neceſſarijs. Quam quàm omnes, qui te uiro optimo, & homine doctiſſimo uſi ſunt in huius Epiſcopalis curiæ cauſis hocipſum debitum uirtuti tuæ teſtimonium reddunt illuſtrius. Sed, ego hæc pauca attigi; ut tu, quem mihi perpetuò colendum eſſe duxi; argumentum aliquod haberes amoris in te, deſiderij, & obſeruantiæ meæ.

AD IOANNEM BOVVLVM Præpoſitum, & Epiſcopi Ticinenſis Oeconomum.

GREGORIVS, cognomento magnus, luculentiſſimus ille ſacrarũ litterarũ interpres, & ſummi Pontificis

tificis dignitate, ſummęq; ſanctitatis honore ſeculorũ memoria digniſſimus; in ſuis piè, & luculenter ſcriptis præclarum quoddam grati hominis exemplum inſeruiſſe, mihi uiſus eſt; cum diceret; tantò quempiam humaniorem, atque in remunerando promptiorem ex munere eſſe opportere; quantò ſe obligatiorem agnoſceret in reddenda ratione. Quòd mihi ſæpius conſideranti; cum tu me multis nominibus, & uerisſimis auctoritatis, & ſententiæ tuæ teſtimonijs ornatum pro loci, aut temporis ratione ſemper uolueris; relinquitur meum conſilium iſtud honeſtum, & gratum etiam fortaſſe, ut humanitati tuæ ſentiam me obnoxium perpetuò fore. Et quamquàm uoluntate quidem certè mihimet ipſe, uel tibi potius ipſi ſatisfacio; re tamen ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quòd nullam partem meritorum tuorum erga me non modò referenda; Sed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum. Sed num tu, Ioannes humaniſſime, tam præclaram apud principem uirum de bonis omnibus benemerendi occaſionem nactus; propterea tibi fortaſſe ab officio deſiſtendum putabis; quòd mihi tenuis homini fortunæ nulla detur referendi facultas? Noli, amabo te, à te ipſo umquam deſciuiſſe uideri: Sed quod facis, fac tibi putes perpetuò eſſe faciendum, ſi cupis poſteritati relinquere memoriam nominis tui ſempiternam. Vale.

CAMILLO SCAPHENATO.

QVOD ad me recens, atque præclarum miſeris exemplum orationum tuarum, quas proximè litteris mandaſti ad decus, & immortalem gloriam nominis tui, feciſti tu quidem nihil alienum, uel à dignitate tua, uel à mea item in te uoluntate. Inſigne enim amici animi, & amoris ſignum dediſti: Sed ego etiam te, & colo ſtudioſiſſimè, & mutuum tibi lucubrationis meæ munus conabor certè quandoq; referre. Et mehercule, cum propter moleſtiſſimas occupationes meas te multos iam dies minimè potuiſſem uidere; uix amplius deſiderium tui perferre poſſe uidebar. Nunc autem, cum tu me tam precioſo orationum tuarum munere affeceris, in quibus ſculptam aſpexi imaginem ſolertis animi, & excellentis ingenij tui, perferam omnia moderatius, & aſſidua illorũ lectione magna perfruar uoluptate. Ita enim delector elegantia ſcriptorum tuorum; uel ita potius admiror ſplendorem admirabilis eloquentiæ tuæ, nihil mihi ut eſſe poſſit illuſtrius. Vale.

AD HIERONYMVM TORTVM Patricium Ticinenſem, & Sancti Mauritij & Lazari Equitem.

CVM præclarè Socrates, Plato, Ariſtoteles, Plutarcus, multiq; præterea uiri ingenio, doctrinaq; præſtan-

prȩſtantiſſimi memoriæ conſignarint, naturam admirationem quandam inſcripſiſſe rebus præſertim ijs, quæ à ſenſibus noſtris paullò remotiores ſunt, dubitare minimè poſſum; quin tibi mirum fortaſſe uideatur, quod ego dederim hoc ad te litterarum: præſertim cum nulla hactenus mihi neque amicitia, neque conſuetudo, nec ullius omnino communicatio ſermonis tecum interceſſerit. Sed num tam parui æſtimanda uirtus, ut neque de præſtanti quopiam doctrina uiro & ſcribere, & bene etiam ſentire poſſimus: niſi eum ipſum familiariter, & quotidiano quodam uſu cognouerimus? quaſi non tanquàm præſentes ueneremur eundem Platonem, Ariſtotelem, Xenophontem, innumerabileſque alios ſapientiæ amatores. Equidem ipſe iampridem noui te, & plurimi ſemper mea ſponte feci egregium ciuem opibus, ætate, honoribus, & dignitate florentem; qui tamen tecum ne ſemel quidem ſum colloquutus. Tertius enim mihi, & propè quartus agitur annus; cum te ſingulari quodam meo fato prælegentem audiui in ſumma celebritate Ticinenſis Academiæ noſtræ ſummo lectiſſimorum ciuium, illuſtriumque uirorum, & Academicorum conſeſſu tanta omnium attentione, uel tanta potius eloquentia, atque pronuntiandi lepôre, ut planè Tullius alter uiderere; ex eo itaque cȩpi te ſummo ſemper loco habere, & æternum tuæ laudis præconium meritò honore proſequi vehementer optabam. Vale.

IOANNI

IOANNI PETRO IMBERTO ARTIVM, & Medicinæ profeſſori in Ticinenſi Gymnaſio. S.

EGO, Imberte doctiſſime, cum primum adoleſcens ueterum fortaſſe ſapientum imitatione incitatus aliquas peragraui terrarum orbis regiones, unde particeps homo rationis, animiq; erecti rerum ferè omnium, quæ ad benè, beatèque uiuendum pertinent notionem aſſequi conſueuit; maximè ſemper optaui uirtutes eas, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur, aliquando poſſe perdiſcendo poſſidere. Itaque ſummo ſemper ſtudio colebam eos, qui egregijs cum eſſent inſtructi optimarum artium præceptis, propterea nobiles, famaque illuſtres dicerentur, & in admirationem ſui traherent rudiores. Quod ſi quando fortuna ipſa tuliſſet occaſionem, ut eorum ſimiles quipiam fierent mihi ſua ſponte notiores, tantum mehercule capiebam uoluptatis, quantum uix queo uerbis explicare. Sed hoc ipſum numquam mihi accidit optatius, quàm proximè tecum; quem cum uix antea noſcem; niſi ea celebritate famæ, qua etiam abſentibus notus es, & tuis de laudibus omnium eſt ore conſentiens: ſingulari tamen fato factum eſt; ut & ego tibi notior eſſem; & tu quod ego ſummi honoris loco eſſe duxi, uiciſſim ad me tamquàm amicus, propeque familiaris aliquando uenires. Vale omnium ſchola doctrinarum, & probitatis exemplar.

VINCEN-

VINCENTIO MONTIMERVLO Patricio Dhertonenſi, & Iuriſprudentię ſtudioſo.

POſteaqvam à nobis diſceſciſti; quamquàm pollicitus eras, te ſæpius ad nos litteras eſſe miſurum, quibus nos & tuo de ſtatu faceres ſæpe certiores, & te memorem noſtri eſſe peramanter ſignificares: adhuc tamẽ nullas accepimus, & earum deſiderium uix diutius perferre poſſe uidemur. Vt enim in ſuperioribus ſtudiorum uacationibus incredibilem capere ſolebamus uoluptatẽ, ex creberrimis epiſtolis tuis uerbis ſuis ita examuſſim perfectis, ut planè appareret muſis eas dictantibus fuiſſe exceptas: ſic nos maximè angit diuturnũ illarum ſilẽtium, & carere tamdiu ſuauiſſimo fructu præſtantis ingenij tui, uehementer dolemus. Neque tamen putem, te oblitum propterea noſtri eſſe, quòd à nobis abes; cum uerus amor magna perualet ſpatia terrarum: Vnde etiam eum priſci alatum depinxiſſe dicuntur. Itaque mihi potius uenit in mentem dubitare; ne noua æris mutatione, & caloris iſtius intemperie in morbum aliquem incideris diuturnum, & grauem. Quod ſi ita eſt fortunæ imprecamur, quòd hoc nos tãdiu latuerit; nec amplius querimur intermiſſione tuarum litterarum. Cura, ut ualeas, Ticini X. kal. Sextilis M. D. LXXIX.

CON-

CONSTANTINO LVCCAE ARTIVM, & Medicinæ profeſſori in Ticinenſi Gymnaſio.

LIBERALISSIMI hominis, & amantiſſimi ſemper fuit, Conſtantine doctor egregie, idemque humaniſſime, ſerere beneficium, ut ex eo fructum metere aliquando poſſet, cuius quidem memoriam aut tempore, aut die definire, nemo umquam ſapiens ęquũ duxit eſſe. Itaq; tu, cuius erga me beneuolẽtiam pluribus antea rerum argumẽtis facilè perſpexeram, cum proximè etiam gratiſſimę liberalitatis, ſummique officij hominis amantiſſimi ratione impulſus eo maximo me beneficio affeceris ut (quod numquã antea mihi obtigerat exoptanti) inſinuare poſſem in conſuetudinem, atque congreſſum Galeatij Bruguræ clariſſimi iudicio uiri, maximiſque in rebus probatiſſimi, Inſubrum præſertim Senatoris, & ab ampliſſimo uiro gratiam aliquam fortaſſe inire; Cupio uidelicet ex eo te uberrimos, & lectiſſimos hoſce metere fructus memoriæ meæ nominis tui ſempiternæ. Vale.

AD FRANCISCVM LVNATVM Patricium Ticinenſem multarum æqueſtrium, & Salis cenſus Ticini Hiſpaniarum Regis nomine quęſtoré.

ANIMO excelſo qui ſunt, & ad altiora quędam, ac magnificentiora nati uidentur; omnem ſuæ mentis

tis agitationem in ampla quadam, & ſplendida magnarum rerum propoſitione figere, & locare conſueſcunt. Itque tu, Lunatè clariſſime, cuius animus amplus, & in Rempublicam noſtram ſemper egregius fuit, non ſolùm integerrimè, prǽclariſſimèq; ſemper geſſiſti magnificentiſſimum iſtud Regij quǽſtoris munus iampridem tibi pro plurimis, maximiſque tuis, & maiorum tuorum meritis à tanto Hiſpaniarum Rege delato: ſed nullis umquàm aut ſumptuū, aut laborum generibus pepercisti; quin magnificentiſſimo ſemper hoſpitio omnes inuitaueris, & exceperis Principes uiros; (Ita, ut patria tibi noſtra plurimum debuerit, perpetuòque debere uideatur) magnanimoſque ipſius Regis Herôes, quibus ſǽpe contigit haſce noſtras Italiæ regiones peragrare. Sed unum potiſſimum magnum illum Caſtullonenſium commendatorem Mediolani producem ſuperioribus annis tanto ſplendore, tam magnifico ſæpius apparatu in domum tuam excepiſti, honorificèq; tractaſti; ut tantis tuǽ liberalitatis officijs prope deuinctus tanti te ipſe mutuò fecerit, ut eorum uoluntatibus, qui tibi & ſumma, & perueteri neceſſitudine coniuncti ſunt, facilè ſe æquarit amor ſuus: obeamq; cauſam Mediolano diſcedēs Hannibalem filium tuum ſecum duxerat, quem omnibus ſtudijs, & beneficijs quàm ornatiſſimum domum reduxiſſet: niſi prǽter opinionem accidiſſet; ut maximo cum totius Reipublicæ Chriſtianæ detrimento in calamitoſiſſimo illo Flandriæ bello perijſſet. Quamobrē, cum Principum excellentiſſimorum, uel tanti potius Hiſpaniarum Regis gratiǽ ineundǽ cauſa magnificentiſſimè te, præclariſſimèque ſemper geſſeris, planè dubitandum non eſt, quin iam ad ſummum gloriæ cu-

mulum perueniſſes: niſi uarij hactenus huius ſęculi rerum euentus tantum tibi decus retardaſſent. Dij faxint immortales, ut aduerſa iſta fortuna tibi quàm breuiſſimè commutetur, ut tu pro tot, tantiſque tuis officijs in Regem ipſum, miniſtroſque eius liberaliſſimè præſtitis remunerationem aliquam conſequi aliquando poſſis, & patriam tibi tuam, quam meherculè habuiſti ſemper te ipſo cariorem, pleniori obſequio demereri. Sic, ut cum ampliſſimum patrimonium poſteritati reliqueris memoriam nominis tui, habeant honeſtiſſimi filij tui, cæterique deinceps omnes ex te formam ipſam, & tamquàm ſpeciem decoris, & gloriæ, quam ſibi ad imitandum proponant, & eadem, qua tu, & maiores tui omnes animi amplitudine conſtantiſſimè ſemper, fideliſſimèque inuictiſſimæ ipſi Auſtriæ familiæ deſeruire.

IOANNI BAPTISTAE MARINONO Ticinenſi Ciui.

VETVSTVS qui fuit, & Princeps ad beneuolentiam inter nos cõciliandam amor; quamquàm uel temporum, uel rationum noſtrarum diſſimilitudine minus habere fortaſſe uideatur uirium, atque dignitatis: apud me tamen integer perſeuerat, & iucundus, nec de mea uetere ſententia dimouebitur. Ortus eſt enim à præſtanti meo de conſtantis, ac fidelis animi tui, & ciuilis cuiuſdam prudentiæ iudicio, quem religione

gione quadam perpetuò mihi ſeruandum eſſe duxi; nec de memoria mea meritorum, & officiorum tuorum erga me quicquam imminutum eſſe putabis noſtrorum temporum uarietate. Hoc tu, qui me, & alios prudentia uincis, qui ex uſu rerum, & ampliſſimi huius queſtorij magiſtratus adminiſtratione, ac tot, tantorumq; negotiorum, & pecuniarum rationibus referendis optimè didiciſti de re quaque ſentire, ex plurimis, & perpetuis quibuſdam beneuolentiæ ſignis in te meę, facilè potuiſti iudicare. Sed in poſterum quoque confidas fore; ut amantiorem me tui habiturus ſis neminem. Vale.

AD OCTAVIVM VICECOMITEM, Præclarum uirum Grupelli Dominum.

HEſtor Vicecomes, uir cùm ingenio, doctrina, & maximarum prudentia rerum, tùm genere clariſſimus, & pręſtantiſſimus multa mihi ſuperioribus annis ruri cum unà iucũdiſſimè uiueremus, de excellentia animi, & ingenij tui, & eximia quadam ad omnes artes nobili uiro dignas propenſione ſæpe narrare ſolitus erat. Credebam equidem tali præſertim uiro affirmanti, eiuſque teſtimonio permotus cœperam iam te ſummo loco habere; Sed hæc ipſa quanto ipſe uidi illuſtrius cum ad te optabilis mihi quidem tui præſentis patuiſſet aditus. Dij immortales, ecquis putaſſet egregium uirum, non iam amictum prætexta, aut ulla

uirili toga; Sed enſe tantùm, breuiq; pallio cinctum, excultum ita fore omni genere doctrinarum ?. Nam de antiquiſſima, & omnium diuiniſsima rerum philoſophia ita iudicas, & egregiè loqueris; ut planè auctoris ſummi, & grauiſsimi magiſtri Platonis, aut ſapientiſsimi Socratis auditor, & exceptor fuiſſe uideare. Hiſtoriam quoque, uel omnium monumenta rerum ita tractas, ut oratio tua omnis ſcateat exēplis, ſit teſtis temporum, & nuntia ueritatis. Vale.

HIERONYMO MILLO PRAEPOSITO.

ETsi antea mihi minimè dubium fuit; quin ijs moribus eſſes, & ea religionis probitate prȩditus, quȩ te iampridem omnibus amabilem reddiderūt: ex ipſo tamen uſu, qui mihi poſtea tecum interceſsit ferè quotidianus, & familiaris ſæpe ſermonis communicatione longè melius perſpexi morum tuorum elegantiam, & eius doctrinæ, atque probitatis ſpeciem non obſcuram, quæ te iam aliquot annorum decurſu peruexit ad honeſtum huius D. Michaelis ꝓpoſiturȩ titulo gradum, quod quidem templum ornatiſsimus olim fuit coronæ locus Longobardorum Regum. In quo dignitatis, & ſummi etiam ponderis munere perfungēdo, cum ſummam ſemper æquitatem, ſummā animarum curam, & religionis obſeruandæ ſtudium oſtenderis; ex eo omnes, & ego unus tui maximè ſtudioſus ſatis mihi habere uiſus ſum; unde te & laudem & prædicem. Vale.

AD TOR-

AD TORQVATVM GAMBARANAM Comitem, & Iureconſultum Ticinenſem.

QVINTVS iam mihi, & prope ſextus agitur annus; cum me Ticinum contuli præclariſsimis optimarum artium ſcientijs operam nauaturus; habitauiq; menſes aliquot, & annos etiam fortaſsis è conſpectu ædium tuarum. Quare, cum te paſsim cœpiſſem cognoſcere, præter amplum familiæ nomen deditum optimis ſtudijs, ſummæque modeſtiæ fama; ſtudebam inſinuare me in conſuetudinem, & congreſſum tuum, idque cum breui impetraſſem à nobili natura tua, ſingularique humanitate incredibilem capiebam uoluptatem ex acurata oratione, & grauibus referta uerbis nobiliſsimi, & ſpectatiſsimi uiri, cuius prudentia, atque probitate quotidie doctior, ac melior fieri ſtudebam; memoriaque teneo, me ſępius temporibus illis tua ſcilicet fretus humanitate aliquid de litteris afferre in medium conſueuiſſe, non quod ipſe quicquam certò ſcirem manipularis, & nouus in paleſtra tyro; ſed ut à te rebus omnibus apprimè ornato aliquid audiendo memoria perciperem, percipiendoq; fideliter continerem. Tùm acceſſerunt plurima, & maxima officia, quibus pro loci, & temporis ratione egregiè ſignificaſti ſummę ſemper tibi fuiſſe curę dignitatem, & exiſtimationem meam. Que talia, ac tanta ſtudia, ut mihi gratiſsima ſemper accidiſſe, putares, uolui hoc ad te litterarum dare, & memoriam meam nominis tui teſtari ſcriptis, & monumentis meis. Vale.

AD PE-

AD PETRVM BIRAGVM Vicobiani Dominum.

CLarvs es, & ſatus alto ſemper ſanguine auito,
Petre Birage, tuo clarior ingenio es.
Egregijs omnes te docti laudibus ornant,
Mirandaque canit ſubditus hic populus.

HIERONYMO CAVALLARIO Ticini Epiſcopi à ſecretis.

QVO fato id contingat, haud equidem ſcio; ſed tamen ita eſt; ut quis uel ſolius cauſa nominis uni potius, quàm alteri uideatur natura propenſior. Ego enim, ut tibi ingenuè, uerèq; fatear maiore quadam amoris uì eos ſemper ſum cõplexus, qui tuo hoc nomine uocarentur, Hieronyme humaniſſime; ob eamque cauſam nobiliſſimis multis, ac ornatiſſimis eius nominis uiris miſas ſæpius, dicataſque uidebis epiſtolas meas; uel quod nomen ipſum graue aliquid portendat, uel quod tales uiros, tali appellatos nomine ſummis ferè uirtutibus præditos perſpexerim. Et mehercule, ſi mecum ipſe perpendes, multis patebit exemplis, cur id uelim ſuſpicere. Nam, ut omittam doctorem illum, & catholicæ lumen Eccleſiæ Hyeronymum presbyterum omni ſanctitatis genere conſpicuum;

cuum; ampliſſima etiam noſtra hæc ciuitas multis pollet argumentis præſtantium eius nomine uirorum. Quid enim totius ille ſplendor ciuitatis, & ſtudioſorum pręſidium Hieronymus Cornazanus, clariſſimus Eques, & unus omnium ſplendidiſſimus? Quid ornamenta illa Academiæ noſtræ Hieronymus Tortus, Eques, & ipſe omni genere uirtutum ornatiſſimus? Quid tu, Hieronyme peritiſſime, quam expectationem tui iam puer concitaſti claris uiris? quàm egregiè hanc ipſam ſuſtines iuuenis factus? ferunt hanc ætatem pronam ad uoluptates, & multas uitiorum, & cupiditatum illecebras; ſed te diuina ratione ſenſus, & omnes carnis commotiones refręnantem charitati tantùm uideo deditum, propenſum pietati dicatum religioni; imitantem illum admirabili ſanctitate uirum, cuius pręclarum nomen honoratè conſeruas. Incumbe per Deos immortales iſtis ad laudem ſtudijs, & qua inſtituiſti uia, perge toto pectore. Vale.

AD CAROLVM CORNAZANVM
S. Mauritij, & Lazari Equitem ſpectatiſſimum, & Franciſcum Pompeium
fratrem Hieronymi F.

ETsi ueſtra hæc ætas, Nobiliſſimi, & ſpectatiſſimi Adoleſcentes, non ſatis adhuc confirmata, propèque puerilis intelligẽtia rerum, aut magnitudine prę-ſtabilium, aut genere ipſo difficilium nondum ſatis ca-

pax

pax cuiquam fortaſſe uideatur: tamen, cum iam in uobis utriſque ſumma ſpes, ſumma ingenij indoles, ſummaque uirtus omnium iudicio ſpectetur; dubitare minimè poſſum; quin uos ueſtri quàm ſimillimi plurimũ etiam commoueamini ſpe ducti laudis, & gloriæ, ad quam iam uos pręclariſſimis, & digniſſimarnm rerum argumentis utroſque uideo egregiè incenſos. Et mehercule aſpernari laudem præſertim rectè factorum, uel gloriam honeſtatis, quæ fructus eſſe debet ueræ uirtutis repudiare leuiſſimi ſemper animi fuit uel lucem, ſplendoremque fugientis. Cum præſertim uos iam longiſſima patrum memoria, & ab hac ueſtra ineunte ætate habeatis cauſam celebritatis, & nominis à clariſſimo parente acceptam, tamquàm optimam hęreditatem omnique patrimonio præſtantiorem. Itaq; mihi duabus potiſſimum rationibus ad uos ſcribendum eſſe cogitaui. Primùm ratio quædam officij mei uidetur hoc à me, & longè maiora repoſcere; quippe qui actoritate patris ueſtri de me ſummi uiri plurimis, maximis, ac ſingularibus beneficijs ornatus ſemper fui: Tùm egregia iſta, præclaraque indoles ueſtra, atque animi, & ingenij ueſtri uirtutis inditia præclariſſima; ſatis mihi idonea res uiſa eſt; quamobrem, & de uobis iure meritòq; ſcribere poſſem, & amantiſſimi cuiuſdam, fortaſſe etiam ſalutaris conſilij mei exponere rationem. Quandoquidem clariſſimus pater ueſter ſummo officio, ſummaque uirtute præditus prætereaque utiliſſimus, & ſuis, & publicis rationibus partim ſtudio incitatus conſuetæ humanitatis ſuæ mei ſemper ornandi, atque iuuandi; partim etiam fortaſſe allectus opinione nonnulla officij, & diligentiæ meę uos mihi iampridem credidit moribus ijs, & pul-

cherrimarum ſcientiarum, imprimiſque excellentis eloquentiæ præceptis inſtruendos; quibus inſtrui, & ornari ſolent, & decet eos, qui claris natalibus orti ſunt, adoleſcentes ingenioſiſſimos ſimiles ueſtri. Itaque à me numquam hactenus, quod certò ſciam, aut certè poſſim diuinare, commiſſum eſt; ut à uobis, aut à tam optimè de me merito parente ueſtro officiũ putarim poſſe requiri meum, quod profectò etiam in poſterum tuebor diligenter; ut uos rectiſſimis ſtudijs, atque optimis artibus præditos reddam. Vos, in quos ſcilicet labor meus, & præſtantiſſimi, atque amantiſſimi patris oculi conijciuntur, & in clariſſima luce uerſamini principum uirorum magna omnium admiratione, decet nihil obſcurum, aut humile cogitare: ſed magna ſemper, & illuſtria ſpectare, & ad ea rectis ſtudijs, & (quod facitis) pręclaris conatibus imitatione maiorum contendere. Valete.

CAESARI AVGVSTO CODACIAE Iureconſulto Ludouici F.

CVM me ſuperiore menſe contuliſſem domum tuam, ut officij, & honoris gratia ſalutarem Londonium Senatorem, Præſidemque præſtantiſſimum, uirum, quem noui cupidiſſimum tui: ſi memoria tenes oſtendi tibi inſcriptionem quandam libri mei, quem illi ipſi præſtantiſſimo Pręſidi peramanter dicaram. Ex eo factum eſt; ut tu uelut in ſtudijs doctrina-

rum, maximèque legum,& iudiciorum ingenuè,& liberaliter educatus, & ſtudioſorum propterea ſtudioſiſſimus peteres à me quidnam potiſſimùm uellem litteris commendare. Reſpondi tibi id, quod res erat uaria eſſe quædam orationum, & epiſtolarum mearum genera, uarijs à me ſcripta temporibus ad egregios ciues, uiroſq; etiam nomine illuſtres, & amicos meos, quorum in numero iudicaram, & te aſciſci oportere. Quòd amaram te ab eo uſque tempore cum, & tu adoleſcẽs legibus operam nauares, Roueſchallamq; tibi ad audiendum, imitandumq; delegiſſes, quem ego uirum, & tùm libenter audiebam, & plurimi ſemper poſtea feci. Itaque uerſabar tecum interdum, colebamque ſtudioſè, quòd præ te ferebas excellentis ingenij tui, præclara indicia, quæ te amabilem reddiderunt. Hoc autem tempore eò maiori te beneuolentia complector, quo plures in te factæ ſunt acceſſiones, & uirtutis, & dignitatis tuæ. Vale.

IOANNI ANTONIO ZELATO Presbytero Venerabili.

HERI cnm mihi nuntiatum eſſet mane de obitu Bartholomęi fratris mei, ſanè quàm pro eo, ac debui, grauiter, moleſtèque, tuli. Nec adhuc ſatis leuari poſſe uidetur mœror meus. Non quòd negem, non oportuiſſe illum aliquando mori; cum, uiuentia quæque morte deleri quotidie uideamus: ſed quòd à me

nomen

nomen ipſum fraternæ pietatis dulciſſimum uidebatur poſtulare; ut omnino illius adeſſem uitę extremis amantiſſimi fratris officio functurus, eiuſque animam anhelantem, uel deprecatoris partes ſuſcipiendo, uel piè conſulando adiuuarem. Sed quando præter uoluntatem, & opinionem meam accidit; ut inſcio, atq; abſente me tam breui uitam cum morte commutarit; reſtat, ut illi mortuo præſtem eam, quam debeo pietatem; teque rogem, ut ad idem faciendum ſatis commoueat deprecatio mea. Vale.

AD DANIELEM IVSTINVM
Patricium Placentinum Ticini
Commorantem.

OMnes fere, qui ſunt aut familiæ nomine illuſtrès viri ſimiles tui, aut etiam doctrina prętantes hoc prę cęteris habere uidentur amplum à natura priuilegium, & quaſi prętrogatiuam quamdam; ut uel ad ſolam uirtutis, aut nominis appellationem omnes trahant ad ſe ſe amandum, atque colendum. Hinc eſt Iuſtine nobiliſſime; quòd ego te, cùm iam aliquot annorum decurſu Ticini cœpiſſem cognoſcere peruete-ri, atq; præclaro ortum genere uirum, præclariſq; etiã uirtutibus ornatum; cœpi etiam te ſtudioſiſſimè colere, ac tibi honeſtiſſima quæque cupere. Tum acceſſit honorificentiſſima prædicatio uirtutum, & laudum

tuarum Hieronymi Cornazzani, Equitis omni laude cumulati, quæ etiam meum auxit erga te ſtudium. Vale.

ILIONEO RIBVFFO Patricio Placentino.

AD VI. kal. Ianuarij accepi litteras à te, Ilionee nobiliſſime, officij, amoris, & humanitatis ſale aſperſas, quibus, cum non perinde, ac debebam reſponderim; ueritus ſum, ne tibi negligentiæ nomine ſuſpectus ſim, aut certè incolendo officio parum memorem mei potuiſſe uideri: ſed ſi apud te aliquis relictus eſt excuſationis meę locus; ſcribam tibi id, quod res eſt. Nam mehercule, cum tabellarius tuus ad me uenit, & litteras reddidit ſedebam ad ignem graui morbo oppreſſus: & cum pro uoluntate tunc temporis ad te minimè poſſem reſcribere, & interea tabellarius idem tuus diſcederet, nullæ apud te fuerunt litteræ meæ. Nunc autem, cum præpotentis Dei gratia ſatis uidear ipſo morbo leuatus non committam amplius, ut à te partes poſſint requiri meæ. Quod etiam ſi ſerius fortaſſe fiet, quàm tu expectaras, & ego uoluiſſem, tempori ſeruiendum fuit. Sed certè ego te cùm amore incitatus meo, & perpetuo quodam iudicio uirtutis tuæ, tùm meritis tuis erga me plurimi ſemper feci; libenterque mihi conſeruabo ſuauem, & perpetuam memoriam nominis tui. Sed non tenebo te

pluribus

pluribus, quem ſpero, & opto Ticini propediem uidere. Vale igitur, & honeſtiſſimæ fœminæ matri tuæ, ac amantiſſimis fratribus, & amicis communibus ſalutem plurimum dices meis uerbis. Ticino nonis Februarij M. D. LXXIX.

AD IO. ANTONIVM MOSTINVM Archipresbyterum, & Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Nouariæ.

ETSI plurimi ſemper mea ſpõte feci viros omnes aliqua laude dignos: meliore tamẽ quadã amoris, & obſeruantiæ nota eos mihi diligendos, atque amicos parandos eſſe duxi, qui eam ſibi potiſſimum uitæ rationem ineundam eſſe duxerunt; ut & optima rerum præſtantiſſimarum ſtudia cum religione coniungerent, & meritam immortali Deo, ſanctiſque omnibus gratiam iuſtis honoribus, religioſoq; etiam corporis cultu, & memori mente perſoluerẽt. Quamobrem, ut primùm mihi gratiam ineundam eſſe duxi ab ampliſſimo Viro Hieronymo Montio, integerrimo vrbis Prætore noſtro, ac præſtantiſſimo Mediolani Senatore; teque uidiſſem ſæpius in congreſſum, atque conuictum illius, qui cum eo etiam de ſtudijs meis ſępe cõtuliſti: non tam quia eſſes in familiariſſimis eius, & ab ampliſſimo Patre conſcripto totus penderes; quàm, quòd te ipſum noui ea religionis pietate uirum, & ijs

deditum

deditum ſtudijs, quibus ego plurimùm certè dele-ctor, & ut aſſequar fortaſſe etiam contendo; unicè ſemper dilexi, coluiq́; diligenter, & obſeruantiæ meæ indicium dedi hoc ad te litterarum. Vale.

HIERONYMO NIBBIO PATRICIO Nouarienſi,& Iureconſulto, Romę commoranti.

AMABAM te antea, mi Nibbi, quòd mihi ſpeciem præ ferebas egregij ciuis, & expreſſam effigiem nobiliſſimi, & ſpectatiſſimi uiri. Nec putaſſem omnino fore, ut propenſæ meæ in te uoluntati quicquam addi potuiſſet amplius, aut amoris, aut certè pietatis. Sed poſteaquàm, & tu tam humaniter amplexus es amici animi, & propenſi amoris in te ſignum mei; mutuamq́; ipſe perſpexi uoluntatem, ac beneuolentiam in me tuam, tantum acceſſit, ut nunc mihi quidem colere te, ac aſſiduè oculis ferre uidear, antea uerò ne leuiter quidem dilexiſſe. Non enim ſat tibi uiſum fuit, me, domum tuam cum te officij gratia ſalutarem, peramanter excepiſſe; ſed ad hominem licet tui cupidiſſimum; tenuiſſimæ tamen fortunæ, nec triuialem quidem adhuc eloquentiam, doctrinamq́; conſequutum uenire uoluiſti. Quid autem impulit te ad humanum, & ſingulare illud officium præſtandum; niſi tua mitis, clemenſq́; natura? Quàm præclarè de te Cicero uidetur præcepiſſe. Suis enim ille reliquit ſcriptis; ut quanto

quanto quis uel generis claritudine, uel laudabilis etiam præſtantia uirtutis ſuperior eſt, tantò ſe ſumiſſus gerat. At tu quo loco natus? cuius maiores in quo uis gradu dignitatis inſignes, geſtarum rerum laude multis iam annis claruere. Vt enim miſſas faciam eruditiſſimos multos, legum, bonarumq; artium Doctores, atque etiam Senatores ordinis ampliſſimi; clariſſimi fuere ex pręclara iſta, perueteriq; Nibbiorum domo ueſtra comites propè innumerabiles, qui rebus pręclarè geſtis ampliſſima conſequuti ſunt priuilegia, cenſus, & dignitates apud Sereniſſimos Reges, ſummoſq; Imperatores. Quid commemorem religioſiſſimos melitæ Equites, cum & hoc potiſſimum tempore illic extet Georgius Nibbius ornatiſſimus frater tuus, qui, cùm maiorum exemplo prouocatus, tùm propria ingenij celſitudine res bellicas ſtrenuè, fortiterque pertractans incredibilem iam de ſe expectationē prębuit principib9 uiris eiuſce religionis. Tu uerò cum in urbanarum peritia rerum, Cæſareo, ac Pontificio iure tantùm excellas, quantum cuique licet re ipſa perſpicere, & in ampliſſimorum Cardinalium, Principumq; uirorum aulis aſſiduè uerſaris; planè poſſum affirmare, te tantorum maiorum gloriam, non ſolùm æquare; ſed augere etiam aliquando poſſe.

Vale.

LAZARI CHRISTIANI
CLERICI TICINENSIS ORAT. ET EPISTOLARVM
LIBER QVARTVS.

AD LVDOVICVM BALBIANVM, Balbiani Comitem clariſsimum.

RES iucunda in primis, ampla, & inſignis quędam natura ſimilitudo mihi ſemper intercedere viſa eſt litterarũ ſtudioſis cùm præſtantibus, & magnis viris, Balbiane Comes clariſsime; Nam & omnis eloquentiæ vis inanis, fruſtraq. tenderetur; niſi principes viri, & qui ceteris dominantur, rebus, aut pace ſapienter, aut bello fortiter, pręclareq. geſtis varietatem, copiamq. dicendi, & tamquàm anſas argumenta ſuppeditarent in ſcribẽdo ſtudioſis. & conſtantiſsimæ item magnorum Ducum,

Regumq. actiones incognitæ perpetuis iacerent in tenebris; niſi litteratorum labor accederet, & eas ſuis ornatè ſcriptis memoriæ conſignarent hominum ſempiternæ. Qua de re nō immeritò Alexander ille cognomēto magnus, cùm ad Achillis ſepulchrum perueniſſet, ò fortunatum, exclamauit, virum, cuius laudes, fato contigit ſingulari, vt tantus auctor Homerus decantaret. Et certè cogitauit præſtantiſsimus ille Heros id, quod res erat, præclariſsima illius fortiſsimi Ducis facinora vnà cum ipſius nomine perquàm breui ex hominum memoria deleri facilè potuiſſe; niſi tantus ingenio vates, tàm ſolenni Muſarum præconio celebraſſet. Hoc & Dyoniſius ille Syracuſarum princeps optimè mihi excogitaſſe, & perpendiſſe, uiſus eſt; cùm Platoni, & Catoni obuiam prodijſſet honoris cauſſa; cùm ab exercitu diſcedens Rhodum venit Anthenodorum, Panætiumq. auditurus, cùm item Poſidonium Panætij alumnum hoſpitio accepit honorificè, eiq. ſtudium, & opem ſuam egregiè pollicitus eſt, & detulit amanter: hæc ſemper propria Regum fuerunt, hæc qui ſunt clariſsimo genere orti, & heroica virtute præditi principes viri ſimiles sui præſtare conſueſcunt, doctos fouere, eoſq. magnis,

ac perpetuis ornare beneficijs, quo in ſcribendis rebus ab illis præclarè geſtis fierent alacriores, & pleniſsimis dignitatum, atq́. antiquitatum exemplis ad imitationem virtutis poſteros excitarent. Itaq́. & præſtantiſsimi heroes maiores tui cùm ampliſsimis ipſi eſſent virtutibus, & honoribus ornati, ac de bonis, & eruditis hominibus melius quotidie mererentur; facilè eſt videre, conſtantiſsimas, & præclariſsimas illorum actiones ſingulis ætatibus fideliſsimis litterarum monumentis fuiſſe conſignatas. Nã, vt omittam alios abhinc tempora propè infinita Balbianos clariſsimos Comites maiores tuos geſtarum rerum laude florentiſsimos, cùm nullum omnino finem ſortiri poſſet oratio mea, cui eſſent in promptu magnificentiſsima illius Alberici Comitis Balbiani facinora, qui annis ante nos tringentis floruit; niſi litteratorum labor, & induſtria diligens acceſſiſſet, & ex annalium monumentis teſtes excitarent eos, quorũ omnis vita conſumpta eſt in laboribus glorioſis? quamobrem mihi ſemper ex annalium potiſsimum vetuſtate eruendam eſſe duxi memoriam nobilitatis tuæ, tuorumq́: ſimilium. Et mehercule iam temporibus illis, cùm Caroli cognomento magni Chriſtianiſsimi Gallorum

Regis filius Apuliæ Regi bellum intulit. Albericus idem ob præſtantem rei militaris virtutẽ ab eo Rege magni Siniſcalchi titulo decoratus in eo bello quæcumq́. à ſummo Duce munera poſtulantur, ea fortiſsimè præſtitit: & poſtea in patriam patria voce reuocatus, & à Ioanne Galeatio Vicecomite inuictiſsimo noſtro Mediolani Duce Regio nomine decorando honorificentiſsimè acceptus vnus ferè eiuſdem Ducis nomine ſatis amplum exercitum duxit, & Bononienſibus intulit acerbum, & graue bellum, nec multo ab illinc tẽpore magiſter equitum, ſeu mauis magnus conteſtabilis factus, & firmis, ac magnis copijs ſtipatus Florẽtiam obſidione cinxit, eamq́. propè expugnauit. Itaq́. pro ſuis maximis, ac ſingularibus meritis multis eum donauit opidis, & ampliſsimis dignitatum, atq. cenſuum priuilegijs ornauit Dux idem ſæculorũ memoria dignus. Nam & poſt ipſius obitum filiorum à conſilijs; & quaſi alterum parentem, ac reipublicæ conſultorem eſſe voluit. Sed paulò poſt, cùm ad Summi Pontificis partes diuertiſſet, & ex rebus præclariſsimè geſtis tanti Ducis virtutem Pontifex agnoſceret, ea honoris dignitate, quæ ſibi cum paucis, aut cùm nemine fortaſſe communis fuit deco-

rauit,

rauit; & magnum Eccleſiæ Confalloncrium, (Sic enim appellant) conſtituit. Qua etiam tẽpeſtate floruit Ioannes Balbianus Comes, qui etiam magiſter equitum fuit, & eiuſdem Ioannis Galeatij Ducis Mediolani mandatis Piſas magno ſepſit exercitu: indeq́. regreſſus multos debellauit homines, expugnauit caſtra, oppidaq́. cœpit in agrum Mantuanum: qui etiam bello interfuit apud Florentiam geſto, & Ferariæ Marchionem armis oppreſsit. Eadem bellicæ uirtutis gloria præſtans fuit Iulius Balbianus Comes, innumerabileſq́. prætereo alios, qui ſinguli longiſsima rerum ſerie claruerunt, vel apud inuinctiſsimos illius tẽporis noſtros Mediolani Duces, præſertim Vicecomites; vel apud Chriſtianiſsimos Gallorum Reges, ſummoſq́. etiam Romanorum Imperatores. Sed à quo etiam tempore Sfortia domus rerum potiri cœpit, tantæ apud eam virtutis, & auctoritatis fuit Carolus Balbianus comes, vt in Galliam ad Carolum Gallorum Regem orator miſſus, non mudò ei, quod optarat, ibi ſumma cum dignitate ſuaſerit; verùm etiam in Italiam perduxit. Is præterea fuit vnus omnium rerum peritiſsimus, ingenio vafer, & pacis tempore agrorum cultor mirè diligens. Cui ſucceſsit Lu

douicus

douicus auus tuus maiorum ſuorum dignus; cuius egregias laudes, & rei militaris peritiam ipſa potiſsima Caroli Quincti Imperatoris ſummi tempeſtate ſatis prædicant ij, qui illius temporis res magnorumq́; Ducum actiones diligẽter perſcripſere. Is enim citeriores Hiſpanos in Italiam primus peruexit, & Antonij Leuæ locũ tenuit. Sed poſt eius obitum totius etiam exercitus Ductor, & Imperator fuit, id quod facilè eſt videre ex ampliſsimis ea de re priuilegijs à Carolo ſibi Quincto Imperatore ſummo conceſsis. Cuius Frater Petrus Balbianus Comes, pater tuus ſui, & maiorum ſimillimus ad Oppidum Mirãdulæ exercitum duxit, & ex eo facto magnam laudem eſt adeptus; is magnis militũ copijs Laudæ, Cremonęq́. præfuit, is Inſubrũ Senator fuit; is apud Imperatorem belli conſiliarius; is deniq. rebus omnibus nihil à maiorũ laude deſciuit. Vides à quibus viris originem ducas, Ludouice clariſsime; Neq. verò vides ſolùm; ſed imitaris etiam. Verſantur enim in animo tuo cogitationes egregiæ, & præclaræ facta emergunt tuis maioribus, teq. ipſo digna. Et quamquàm ſcio vnum tibi propoſitum eſſe militare decus; Vnde primùm tua nobilitas fluxit: plurimi tamen facis earum doctrinarum

ſtudia

ſtudia, quibus, quæ virtutis eſt merces rectè factorum memoria conſeruetur: faues ingenijs; nihil dees ſtudioſis, & litteratis hominibus. Cupis uirorum illuſtrium, tuiq. ſimilium res præclariſsimè geſtas conſignari memoriæ hominũ ſempiternæ. Itaq. non contentus eo ſplendore & ijs egregiè factorum præmijs, quæ tuis parta ſunt à maioribus, & à proximo etiam fratre tuo Carolo Balbiano Comite, qui maximis dignitatum, & honorum gradibus inſignis, & notus fuit apud principes viros; clariſsimum, & ampliſsimum familiæ nomen in Orbe terrarum clarius in dies, & amplius efficere ſtudes virtutibus tuis. Ludouice Comes clariſſime, ac ſapientiſsime. Comparaſti enim tibi adoleſcens iuris, & legum prudentiam, iudiciorumq́ue& earum maximè rerum nationes, quæ, & belli, & pacis tempore maximè comites ſunt ad vitam laudabiliter inſtituendam, riteq́ue ducendam; & grauiſsimarum rerum magiſtratus certa quadam laudis, & gloriæ ſpe, rectaq́ue ratione gerendos, quaſi viam faciunt expeditiorem. Itaque, & magnificentiſsimo iampridem Nouàriæ Vrbis adminiſtrationis munere perfunctus es ſummo

cum

cum nominis tui ſplendore, & plurimis etiam rei militaris inſignibus decoratus, & in concilium Reipublicæ rectè gubernandæ cooptatus ab excellentiſsimis Mediolani producibus, & à Sereniſsimo quoquè Allobrogum Duce ornatus ampliſsimis honoribus.

Vale, Ticini Idibus Quinctilis.

AD IACOBVM FRANCISCVM GAMbaranã Comitem, & Mediolani Senatorem ampliſſimum.

ESsi, tibi excellentis ingenij, acerrimiq́; iudicij, & exquiſitiſſimæ doctrinę uiro mirum, uereor, forſſitae uideri, quod manipularis, & nouitius Palladis ego miles uelim ſcribere ad te, Comes, & Senator Clariſſime, qui & frequentiſſimo ſtudiorum uſu, ac magnificentiſſimo publicarum prælectionum munere, quo multorum iam annorum decurſu honorificentiſſimè perfunctus es ad primarium, atque digniſſimũ Iuris Pontificij interpretandi locum iampridem euocatus in ampliſſimo Ticinenſi Gymnaſio noſtro tantùm in litteris, ac rerum præſtantiſſimarum notione progreſſum feciſti; ut cum ingenium tuum nũquàm à labore ceſſarit, iudicium quoque uel in occultiſſimarum, grauiſſimarumq́; rerum pręſertim forenſium cauſis numquàm errarit; ſicq́; te, non aura popularis, non amplum familię nomen; ſed una uirtus, tui illi maximi, & præclariſſimi ad laudẽ conatus ad altiſſimum iſtum, & iamdiu quidem uirtuti tuę debitum honoris, & dignitatis gradũ ſuo quodã iure perduxerint; ubi non niſi ſublimia pertractas; & quaſi cœleſtia tantum animus tuus pręguſtare uideatur: tamen ea fretus humanitate, qua te Ticini præditum quandoque noui; tùm quòd arbitratus ſum dulcem, & optatum nomen ipſum patriæ communis te in hominem tanta tibi deditum pietate non nihil poſſe commouere, auſim ſcribere ad te quaſi mutata perſona dignitatis tuæ, & cuiuſdam conſilij mei perhumaniter exponere

 rationem.

rationem. De quo etiam ſcripſi ſuperius ad Bruguram,& Londonium ampliſsimos iſtius ordinis patres conſcriptos. Scito igitur,me,Senator præſtantiſſime, poſt obitum Raſarij diſertiſſimi Rhetoris noſtri,cuius uoce nonnumquàm perſonarunt aures meę, & cuius etiam uicem uehementer dolui; putaſſe mihi eſſe faciendūm; ut & lucubrationes quaſdam meas typis, (ūt nunc loquimur)impreſſorijs excudi uellem,& amplíſſimi ordini toto argumentum aliquod præbere laborum,& uigiliarum mearum. Ex quo uelletis grauiſſimum conſilium ueſtrum adhibere, & de me ita iudicare; num is eſſem, qui mihi Roſſarij locum poſſe uiderer aliquo meo iure uendicare. Vale.

AD RINALDVM TITONEM COMITEM, & Marchionem clariſſimum.

ETSI initio rerum, atq; gentium natione nulla diſcretio foret pauperis, & diuitis, nobilis, aut alterius hominum conditionis: cum eſſent, aut certè dicerentur primis ijſdem orti parentibus,omniaque eſſent natura communia omnibus : Ea tamen temporum conditio ſequuta eſt; ut & diuitum, atque nobilium frequens nomen, & appellatio paſſim naſceretur. Quod ego, quantum coniectura conſequi cogitando poſſum, & diuini numinis uoluntate permiſſum, & ſingulari nonnullorum uirtute factum puto. Nam, ut omittam præclariſſima illa Patriarcharum, ſaucto-

ſanctorumq; patrum, & magnorum ducum exempla prioris teſtamenti, qui poſtea etiam ceterorum populorum, gentiumque omnium tempeſtate plus animo, uiribus, & ſapientia ualuerunt; ij ſibi plus etiam de rebus, & terrarum orbis poſſeſſione uendicarunt. Penes quos ſimul cum diuitijs, aut æquo animo acquiſitis, aut ſapienter conſeruatis quotidie magis percrebuiſſe uiſum eſt nomen ipſum nobilitatis, & laudis. Itaque tu, Rinalde, Comes clariſſime, quod te ipſum diuitijs auxeris, quod fortunis locupletaris, cùm fortunæ, quæ profectò ſummis ſæpe uiris ad res magnas benè gerendas diuinitùs adiuncta fuit, & ſapientiæ tuę, cuius laudem non ſine ſummo ſtudio, labore, atq; doctrina cõſequutus es, tribuendũ puto; tùm mehercule uoluntati diuinæ, quæ te tot opes, rerumq; copiam, ita permiſit acquirere; ut tu non illorum priuatim poſſeſſor eſſes, ſed quaſi diſtributor, & adminiſtrator, ac in pauperes, & calamitoſos, erogares. Quod cum facias, ſemperq; feceris, non tam tibi diuitiarum, atq; nobilitatis nomen auxiſti, quàm uirtutis, & pietatis laudem apud omnes acquiſiuiſti. Quo nomine, plurimum mihi, & tibi gratulor, Rinalde clariſſime, mihi, quòd, amicum nactus ſim pauperum præſertim, & ſtudioſorum patronum; tibi, quòd, non ut multi peſſimè faciunt rebus iſtis ad uoluptates tantùm, & animæ tuæ diſcrimen abutaris; ſed, & ſapienter conſerues, & alijs potius, quàm tibi ſumma cum æquitate augendas uehementer cures. Ceterum, quod mihi Franciſcum Cacciam, nobilem adoleſcentem, mirèq; ſtudioſum, & affinem tuum commendas, rogo te, noli de eo tantopere laborare; ſatis enim eum mihi commendauit ratio officij, & exiſtimationis meæ, tum

mehercule hoc ipſum, quòd totus pendet à te, qui ſi fideliſſimis, & amantiſſimis conſilijs meis, ſibi parendum eſſe cogitarit, nolo dubites, quin ſatis exoriatur excellens in hoc genere doctrinæ. Vale, me dilige, & diu felix uiue. Ticini x. kal. Septembris. 1579.

AD MARCVM ANTONIVM Roueſchallam Comitem, & celeberrimum Iuriſprudentiæ profeſſorem in Ticinenſi Gymnaſio.

CVM Semper excellentium ciuium uirtutem imitatione dignam, non inuidia putauiſſem, Roueſchalla Comes, & Doctor celeberrime. Propterea mihi iampridem ſic agendum eſſe cogitaui; ut excellentiam ingenij uirorum omnium uirtute, laudeq; præſtantium, ideſt tui ſimilium, ſi minus imitatione conſequi fortaſſe poſſem; nihil aut laboris, aut induſtriæ certè prætermitterem; ut uoluntate ſaltem proximè accederem. Ob eamq; cauſam, ut primùm didici aliquid ſapere, & à vulgi opinionibus abhorrere, contuli me Ticinum, (morabar enim antea ruri,) uel ad mercatum potius ſatis affluentem optimis artibus, doctiſſimis hominibus, & eloquentiæ magiſtris, uiriſq; præſtantibus in omni genere doctrinę. Cumque aſſiduè uerſari cœpiſſem in ampliſſima ciuitate, & optatiſſimo congreſſu eorum, qui optimis ſtudijs dediti dicerentur, plurimum delectari; Collegi inde me, cogitauiq;

niq; id, quod res erat; eam mihi demum rationem ineundam eſſe ſtudiorum meorum; ut ex multis, quos æquè diligebam, ſequebarq; ſtudioſè; unum in primis deligerem, quem mihi potiſſimum ad imitandum proponerem; eumq; perpetuò ſequerer, uelut optimum Ducem rationum mearum omnium. Is tu omnium iudicio uiſus fuiſti; cui, & aſſiduo ſtudiorum uſu, & acutiſſima legum interpretatione, paucos comparandos putarem, anteponendum uerò neminem. Itaque cum te in hoc ampliſſimo orbis terræ loco, tamquàm alteris Athenis frequens audirem, admirabar equidem acutiſſimam ipſius iuris interpretationem, qua nihil, aut ornatius explicari, aut planius exprimi poſſe uidebatur; ſed ſplendorem eloquentiæ tuæ, uerborũ ornatum, & grauitatem illam ſententiarum in orationibus, & prælectionibus tuis omnibus ita ſemper ſuſpexi; ut ad humanitatis, & antiquitatis nitorem, qui propius acceſſerit, audirem certè neminem. Vale, meq; alumnum tuum dilige.

VINCENTIO MONTISMERVLO Patricio Dherthonenſi Taurini ſtudiorum cauſa commoranti.

ACcepi litteras tuas, quæ mihi, & humaitatis ſale ſparſę, & amoris inſignes uiſæ ſunt; in ijs mihi profectionem tuam narras, & reuerſionis conſilium amicè admodum, & peramanter exponis. Amo te, quòd mei

mei memor ad me litteras dederis, meq; ornaris laudibus; quas ego licet non agnoſcam: tamen quicquid mihi abs te datum eſt, ab optimo animi tui ſenſu profectum puto. Perfudit me ſumma uoluptate illa epiſtolæ tuæ pars, qua Ticini urbis noſtræ laudes, hominum doctrinam, ampliſſimorum ciuium nobilitatem perſequeris, uerum conficior mœrere, (abſum enim, & ipſe ruri,) urbem ampliſſimam, & omnibus rebus auctam, & ornatam, hoc tempore ſic eſſe deformatã, & peſtilentia afflictam; ut quæ libertatis, omniumque optimarum artium, & doctrinarum firmiſſimum domicilium habebatur, nunc uaſta, & deſerta in ſqualore uerſetur. Vtinam his malis aliquem finem præpotens, & miſericors afferat Deus, quod cum te, bonoſq; omnes optare ſcio; tum uerò ego mirum immodum cupio. Quòd autem ais, te, cum audiuiſti, urbem noſtram melius habere, ſtatim domum cogitaſſe; ualde mihi probas conſilium tuum: quamuis enim peregrinatio, & morum, conſuetudinumque externarum, & diuerſarum urbium, c liqque uarietatis cognitio, magnopere ad uitam prudenter inſtiruendam; riteq; ducendam pertineat; quod nobis Vlyſſis exemplo Poeta indicauit: tamen uel hæc una patria noſtra, quæ aliæ multæ ciuitates uix poſſunt, tibi ſuppeditare facilè poterit. Hic enim, ut ſcis, eſt Gymnaſium omni præſtantiſſimorum doctorum genere florentiſſimum; Academia in quauis honeſta, liberaliq; facultate referta, atque ornata hominibus: urbs ipſa nobiliſſima, & omnium laudandarum rerum copia affluens: ciues optimi, & gloria circumfluentes; atque alia innumerabilia, quæ ciuitates ornare maximè exiſtimantur. Quæ cum ita ſint, uolo, te, præſertim liberata ciuitate,

(quod

(quod breui ſperatur fore) omnia, quæ uirtute comparari poſſunt, Ticini expectare. Vale. Ex opido ſancti Georgij idibus Decembris. 1577.

AD ALOYSIVM CRIBELLVM DVRNI, & Leumelli Comitem, Hiſpaniarum Reg. Equitem Cruce rubea titulo Callatratę.

EXPETENDARVM rerũ multa genera eſſe non ignoras, Aloiſi, Comes ſapientiſſime; ſed unum illud, quod non emolumento captans aliquo; ſed ſua tantùm trahens dignitate nos allicit ad ſeſe, hoc maximè omnium uidetur expetendum; ut uirtus, quæ & ipſa per ſe laudabilis ſemper fuit, & altiſſimum in homine locum, maximèq; excellentem tenuit. Hæc in præſtantibus, & magnis uiris.i. tui ſimilibus fructuoſa alijs, ſibi plerumq; laborioſa fuit. Reliqua ſunt eiuſmodi genera rerum duo, unum, quod neq; uì, aut natura; ſed ſua tantùm utilitate homines maximè trahit in amorem ſui; ut pecunia, ceteraq; dominantis bona fortunæ, cuius dulcedinè capti pleriq; omnes nullam ferè habere uidentur, aut iuſtitiæ, aut æquitatis quandoq; rationem. Tertium, quod amicitiam eſſe dicimus, aut certè cogitamus, nihil habet, aut ſe ipſa dignius, aut à Dijs immortalibus hominum generi conceſſum præſtantius; cum non modò incredibili quadam uì, propeq; ſingulari; ſed liberali etiam dignitate nos inuitet ad ſeſe. Hanc Ariſtoteles, uir ille ſtudio, atque doctrina præſtantiſſimus rem propterea ſummè neceſſariã

dnxit;

duxit; quòd quibus in rebus ipſi intereſſe nequimus, (quando non omnia per nos efficere poſſumus) in ijs ſupponitur plerumq; uicaria fides amicorum. Et profectò nihil aptius naturę, nihil tam conueniens humano generi, quàm amicitia eſt: quandoquidem hæc, & ſecundas res ſplendidiores facit, & aduerſas quoque patiens, communicanſq; leuiores. Vnde, & Bias etiã præclarè ſcripſit, magnam, atque magnificam ſibi uitæ ſuppellectilem comparaſſe, qui ſibi amicos parauiſſet. His de cauſis, ego, ut ſtatim aliquid ſapere didici, ſemper aliquo meo, aut officij, aut laborum genere eos mihi potiſſimum amicos parandos eſſe ſtudui, qui cum auctoritate, & gratia per ſe plurimùm apud omnes poſſent, optimè etiam de ceteris, qui aliorum ope nituntur, præſertim doctis hominibus mererentur. Idque ſi memoria tenes expoſui tibi peramanter ſuperiorum temporum calamitate, cum & tu ijſdem cõpulſus peſtilentię periculis ruri eſſes, meque, (quæ tua fuit humanitas, & animi ſplendor ſingularis) unà cum Illuſtri uiro Heſtorre Vicecomite liberaliſſimè inuitaſſes ad encenia D. Bartholomęi. IX. Kal. Septembris. Nam & tum oſtendi tibi primordia quædam lucubrationum, & uigilarum mearum, & de memoria mea nominis tui teſtanda litteris, & monumentis meis pollicitus ſum, & detuli. Itaque te, cum propter ampliſſimum, & clariſſimum domus tuę nomen in orbe terrarum, maximaſq; illuſtrium uirorum clientelas, & omni patrimonio præſtantiorem à maioribus partam, & ab ampliſſimo Cardinali parente tuo auctam, illuſtrẽ, & æternam rectè factorum gloriam; tùm propter excellentem probitatem, perfectam eruditionem, multaſq; præterea ſuauitates animi, & ingenij tui iamdiu

mihi

mihi amicum (quoad tua pateretur modeſtia) cogitaram modis omnibus eſſe coniũgendum. Vale, meq; quantum uales, quantumq́; potes, (qui potes certè plurimùm) dilige, faue. Ticini idibus Quintilis MDLXXIX.

BORGNINO CAVALCANO IVREC. & Epiſcopalis Curiæ Ticinenſis Vicario.

CVM te anno ſuperiore inter præſtãtiſſimos multos ingenio, atq; doctrina uiros, unum, tamquàm ceteris uſu, atq; eruditione præſtantiorem Vicarium ſibi delegiſſet Hippolytus Rubeus Comes clariſſimus & Pontifex noſter omni laude, atq; honore dignus; multaq́; ad me clariſſima, & una omnium uoce perlata eſſent de excellenti tua probitate, doctrinaq́ue ſingulari, ex eo putaram mihi eſſe faciendum, ut à te quoquomodo poſſem gratiam inirem. Cum autem mediocris eſſem homo conditionis, & qui facilè cogitabã nulla te alia re poſſe iuuare; cupiebam hoc ipſum meo ſaltem aſſequi litterarum bono, idq; ſæpius communicaram cum Franciſco Auegnio, collega tuo, tui certè ſtudioſiſſimo; nec à me quidem fortaſſe alieno. Sed me hactenus retardauit inuitum ſub ruſticus quidam pudor meus uerentem, ne tantæ eruditionis, atq; dignitatis uirum, tantarumq́; rerum occupatione diſtrictum inſulſi, parumq́; pudentis hominis eſſet inanibus interpellare litteris. Nam meher cule, cum aliquando me ipſe colligerem, cogitarem-

T que

que qui, quantus eſſes, quippe pręclara, atq; perue-
teri natus Caualcanorum familia, & ex eo parente,
qui cum iuris ipſe prudentia excelleret, ſuæ etiam ſe-
mina uirtutis in te diffudiſſe uiſus ſit, qui totus ad imi
tationem contenderis, qui ſummis ſemper uigilijs,
duriſſimisq́; laboribus ius ciuile illuſtraueris maximo
cum nominis tui ſplendore: planè ueniebat in men-
tem cogitare, non eſſe meum, qui ne primas quidem
uiderer attigiſſe muſas, uelle ad te quicquam littera-
rum dare. Quid multa? quamquàm.n. tanta eſt fama
uirtutum, & laudum tuarum, ſparſusq́; hominum ſer
mo puriſſimus de excellenti ingenio, optimaq́; men-
te, peracri iudicio tuo, doctrinaq́; ſingulari, ut nihil
uel ad laudem amplius addi poſſe uideatur: tantus ta
men adhuc in ſtudijs es, & uerſaris, ut liceat omnino
ab uno te rerum omnium exempla petere. Hęc igitur
erant ferè, quibus penè adduci poteram, ut ad te uel-
lem quicquam ſcribere. Sed tamen cum me Auegni-
us idem nobiliſſimus & qui te nouit optimè, planè
docuiſſet modeſtiam & humanitatem tuam; horta-
tusq́; eſſet ad hoc ipſum ſcriptionis ad te meę munus
ſubeundum; nolui amplius non demereri hominem
amantiſſimum mei, & mihi quoquè defuiſſe ui-
deri. Quare mitto ad te, Caualcane, epi-
ſtolam pudoris, & uerecundiæ ple-
nam, teſtem ſcilicet iudicij, amo
ris in te, & obſeruantiæ
meæ. Vale Ticini.
1579.

Ioanni

IOANNI CANI VIRO NO bili, & familiari ſuo.

QVamquàm præſtantes ingenio uiri, & optimis naturæ muneribus ornati ſimiles tui ubicumque gentium, atque locorum eſſe contigerit, præclarum ſemper aliquid meditari, & efficire ſolent, ne ſibi deeſſe uideantur: Mihi tamen, ac multis præterea hominibus non inſulsis laudabile ſemper uiſum fuit, ut erecti animo uiri ſuas, atq; ampliſſimas alias colerent ciuitates, & in frequentiſſimo concurſu optimorum ciuium, doctiſſimorumquè uirorum oſtenderent uirtutem, & egregias ingenij ſui uires. Itaque ego, te cuius ingenium, animumquè ab adoloſcentia noui, uelim, poſtea quàm aliquo temporis decurſu iucundiſſimas uillas tuas obieris, ad urbem redire, uiuereque nobiſcum in ſtudijs noſtris. Vale.

GENESIO CALCHO CAVſarum oratori Mediolanenſi S.

IN filio tuo, quem Nicolaus Boſſius, affinis, & cupidiſſimus homo tui, multis officijs mutuis, & præterea quadam mea in præſtantem religione, doctrina, atque auctoritate uirum obſeruantia coniũctiſſimus ſuperiore menſe iuſtis moribus, & litteris inbuendum in Contubernio noſtro locauit, mirifica indoles uirtutis apparet, & plenum quoddam ingenij lumen eluceſſit. Ego te, qui pater eius eſſes, uehemen-

geſtis, hoc liquidè conſtat in fideliſſimis ueterum annalium monimẽtis; eamq; ſingulis ætatibus procreaſſe non præſtantiſſimos tantùm belli Duces, magnanimosquè Herôes quamplurimos; ſed, qui diu etiam regno potiti ſunt, & patriam hanc, inſubresq; omnes (ut alias regiones omittam) contra fortiſſimos ſæpius exterrarum gentium Duces ſumma cum laude tutati ſunt. Tu uerò, cum paccatiſſimis Reipublicæ noſtræ temporibus, & optatiſſima magnorum Ducum, præſtantiſſimorumq; Regum & ſummi Imperatoris pace conciliata natus ſis, quo ſcilicet tempore cedere uidenter arma togæ: nihilo tamen minus à maiorum gloria deſciſcis: cum in urbanis rebus auctoritate, & gratia plurimum poſſis, & optimis in Rempublicam meritis laudem quotidie maiorem aſſequaris. Vale.

AD PETRVM CAMILLVM ET EPAMInondam fratres Canes Petrę, Pauoni, & Migneti Dominos.

CVM uirtutis laus omnis in actione ſemper conſiſtere uiſa ſit, Petre Camille, & Epaminonda, Fratres nobiliſſimi, & qualis qualis quisque eſt, talia loqui, & efficere ſolere dicamus. Vnde & Chriſtus ſeruator ſuo protulit ore, ex operibus unum quemque cognoſci oportere, propterea minimè miror, uos utroſq; ueſtri quàm ſimillimos ea ex uobis quotidie promere, quę & alios delectent, & uos ipſos egregijs laudibus illuſtrent; & mehercule ab omnibus ferè uiris

ad illorum exempla poſſit elucere: uerſantur tamen in animis ueſtris cogitationes egregiæ dignæ ſcilicet uobis, & ueſtris maioribus: Nec humile quicquam umquàm cogitaſtis; Sed ad optima quæque, & ſublimia ſemper tendentes uerſati eſtis ab adoleſcentia in ampliſſimis Principum uirorum aulis non Romæ tantùm; ſed in Hiſpanijs etiam, & longiſſimis alijs orbis terræ regionibus. In Patriam uerò regreſſi, & alter Ticini, alter uerò Laudæ cõmorantes ob illuſtrem domus utriuſque ſplendorem, & ampliſsimorum ciuium, illuſtriumquè uirorum congreſſum, & conſuetudinem, qui domum ueſtram, tamquàm ad Florentiſsimum omnium uirtutum, Laudandarumquè rerum Academiam confluunt, ſolenni omnium præconio ornamenta eſſe dicti eſtis utriuſque ciuitatis, & patriæ ueſtræ. Valete.

HIERONYMO CALCANEO Præpoſito, & Doctori.S.

VTinam & mihi medio curſu laborum, & uigiliarũ mearum initium aliquod quieſcendi, atq; animũ referendi ad optima religionis tantùm ſtudia præſertim cum dignitate conceſſum foret. non me fugit, magnos te olim labores, ærumnasquè perpeſſum, antequàm honos quiſpiam, ideſt uirtutis tuæ præmium delatum eſſet: quippe qui florentiſsimum non multis ab hinc annis ludum litterarum Ticini, tamquàm

alteris Athænis apperuiſti concurrentibus undecunque magna nominis tui celebritate auditoribus, quo quidem munere perfungendo quanta dexteritate, uir omni erudione præſtans, doctrinam tradideris, facilè probant innumerabiles prope legum, bonarũquè artium doctores, qui tibi uiro optimo, & homini doctiſsimo operam dederunt. Sed hæc fortaſſe te iuuabit modò meminiſſe tanti præſertim cenſus præpoſituram nactus. Atqui uel nomen ipſum tantùmmodò præpoſituræ tanti facerent multi, ut ex eo ſatis magnam caperent gloriæ uoluptatem. Sed ego te hominem uerè ſapientem non arbitror genere iſto ambitionis dèlectari. Ob eamquè cauſam, antequàm tale quiſpiam aſciueris, propoſuiſti tibi uberrimos præpoſituræ fructus ipſo cum nomine præpoſituræ. Quo quidem nomine plurimùm tibi, mi Hieronyme ſemper ſum gratulatus; mihi quidem etiam fortaſſe gauderem ſi tale, tamque optabile bonum aſſequi aliquãdo poſſem. Sed hęc ferè iocor tecum per litteras, quando minus uacat coram ſermone. Omiſsis iocis, utri noſtrum maius otium ſuppeditet haud equidem ſcio. Nam cum te ſemper uidear mihi uidere grauiſsimarum quotidie rerum curis oppreſſum, uenit in mentem ſubuereri; ne qui locus quietis, & tranquillitatis pleniſſimus fore uidebatur, in eo maximè moleſtiarum, & grauiſsimę ſollicitudines incide rint, ut ut eſt, facilè concluditur, illud, quod primo parenti, ac omni deinceps hominum generi dictùm fuit in ſudore uultus noſtri oportere nos ueſci pane noſtro. Quamobrem talem mihi dignitatis occupationem ne expetendam quidem umquam cogitaui. Sed habes epiſtolam iocationis plenam, qua te delectatum

tatum eſſe cognoro; ſi ad me miſeris ipſe pleniorem. Vale.

HIERONYMVS CALCANEVS Lazaro Chriſtiano. S. P. D.

AD quietem, honoresq. comparandos nullam uiam aptiorem, quàm laborum, & uigiliarum eſſe, nemo eſt, qui inficias eat. Non tamen fiunt uoti compotes, nec tranquilitatis portum attingunt, qui litterarum ſtudia tractant, & in eis exercendis plus laboris ſuſtinent, quàm ſatis eſt. Si quidem, qui laboribus reſpondeant, & benemeritis gratiam referant, quàm pauciſſimi reperiuntur. Ego etenim, amantiſſime Lazare, ardua negotia agreſſus ſum, & uiribus meis quandoque maiora: labore tamen nondum ſum perfunctus; nec, (ut ipſe aſſeris) mihi parta quies; immo uaſtum æquor reſtat arandum. Nec mirum; nam hic quieſcendi locus non datur; cum ſemper per uaria rerum diſcrimina ſit eundum, donec Dei benignitate illuc perducamur; ubi ſempiterno beati fruũtur æuo. Mihi gratularis, quòd prępoſituram opimam nactus ſim; ſi ex illius prouentu eos caperem fructus, quos ex multorum ſermone te intellexiſſe fateris, eſſet, quod gauderes; præſertim cum in amicum peruenerit, qui in te amando nemini cedit. Sed cum hominũ opinione fructus longè minores percipiam, non uideor, qui mihi gratulari poſſis; cum potius dolendũ

V ſit

ſit, quia cum honore onus annexum ; nempe cura animarum, qua nihil periculoſius, nihil grauius, nihil denique, quod animum magis ſollicitet, inueniri poſſit. Tibi natura tot corporis, & animi bona elargita eſt ; ita, ut non nouerca ; ſed uera mater fuiſſe uideatur. Quare tibi uerè gratulor, ſperoq; fortunam, tibi tantùm de ſuis muneribus donaturam, quantùm animi tui dotes & merita poſtulant : præſertim cum iam ſis ſuper æthera notus, tuaq; tibi uirtute amicos paraueris, opibus, clientelis, nobilitate, & omni uirtutum genere clariſſimos, quorum auxilio, & fortunæ bonis ultro ſummi deferentur honores. Interim, perge, ut cœpiſti, & ut facilius optata conſequi ualeas ſummũ rerum conditorem, quibus ſoles præcibus, & uitæ integritate præcari, totoq corpore diligere, ne deſinas. His enim tamquàm duabus anchoris fultus omnia aduerſa ſuſtinebis, & fœlicitatis portum plenis, (ut aiunt) uelis attingens. Longiore opus fuiſſet calamo ; ſed negotiorum male oppreſſus, plura ſcribere non potui. Quare, me excuſatum habebis. Vnum tamen illud ſcito, tibiq; polliceri uerè poteris, me nullum officij genus ; quòd in rem tuam ſit, ullo loco prætermiſſurum. Vale.

AD FERDINANDVM BRVGVRAM
I. C. Galeatij Senatoris ampliſſimi filium.

EGO te Ferdinande, ſummo iam antea proſequebar amore ; quòd eſſes eo patre natus, cuius elegã-

tem

tem, & exquiſitam doctrinam, cuius perfectam eruditionem & egregias ampliſſimi uiri, & Senatoris laudes non modò finitimę regiones; ſed etiam lōginquæ meritò quidem nunc prædicent, & in poſterum memoria teneant. Humanitatem uerò tuam, cum proximè Ticini ſum expertus; an dubitas; quin etiam maiore te obſeruantia complectar? Perge; ſi te amas, pręclaris conatibus in ipſo ad laudem curſu; ut paternā uirtutem omni patrimonio præſtantiorem non modò conſerues; ſed augere etiam aliquando poſſis; Quandòquidem uiam inueniſti directam, & à uulgi opinionibus longè remotam, quæ te ad immortalitatis laudem facillimè feret. Ego tanti uiri & parentis tui nomine plurimùm tibi ſanè gratulor; mihi ut gaudere perpetuò poſſim, uehementer exopto. Cuius tu prudentiſſimi uiri, & omni prorſus uirtutum laude florentiſſimi conſtantiſſimas actiones, ſi uerò ſenſu contempleris, & ad eius te imitationem totum finges, ſperato fore, ut haurias ex eo laudem, quàm ex ulla diſciplina nullam profectò capere potuiſſes uberiorem. Vale.

AD ALEXANDRVM CASALIVM Vigleuani Epiſcopum.

ET ſi, quæ nullo terrarum ambitu cōtinentur, multa ſunt, Caſali, Præſul ampliſſime: una tamen in primis frequens, & illuſtris hominum fama peritiſſimorum, uirorumq; tui ſimilium uirtutis, dignitatis, & nominis laude præſtantium, cum nullo poſſit ſilentio contineri; non ſolùm ſuis contenta locis eſt & ad fi-

nitimas perueniſſe ciuitates; ſed per priuatorum etiã parietum cancellos, atq; foramina uelox egrediens magna peruolat ſpatia terrarum, & ad longiſſimas quaſque manat nationes. Quo fit, ut illius tantùm celebritate etiam abſentibus ſiamus aliquandò notiores. Vnde, quamquàm Paulus ille primus eremitarum auctor, & magiſter, quamquàm Antonius, & innumerabiles alij prioris illius ſœculi uiri cœleſtis uitę in terris traducendæ in remotiſſimas eremorum ſpeluncas, atque ſolitudines ſe ſe cõtulerunt, celebris tamen illorum fama ſanctitatis per omnes orbis terrarum partes reddidit illuſtres. Nec fuit, quòd me ad amorem, & obſeruantiam tui traxerit aliud; feceritq; ut hoc ad te eſſe uellem litterarum mearum, uel indiciũ potius officij erga te, & pietatis meę, niſi diſſeminatus quidam, planèq; diſperſus ſermo hominum ſumma cum laude, atq; admiratione prædicantium de ſplendore nominis, & illuſtris familiæ tuæ; de maximis uirtutibus religionis, continentiæ, grauitatis, iuſtitiæ, fidei, pietatis, & cæteris ingenij tui monimentis, quæ te ad ampliſſimum iſtum locum, alioſque quàm plurimos dignitatis, & honoris gradus ſuo quodam iure perduxerunt. Vale Ticini, 4. Kal. Septemb.

AD MARIVM BVTTIGELLAM Iuriſconſultum, Io. Baptiſtæ. F.

SVNT tibi, docte Mari, mortales undique dotes
Ingenij, uotis fauit Apollo tuis.

AD OCTAVIANVM BOLDONVM Iuriſconſultum.

INGENIVM miror, tua quæ ſit copia fandi
Intueor meum, Caſtaliumq́; melos.

VINCENTIO LITARDO FISCI Epiſc. Ticini Procuratori S.

O Suauem occurſum, o blandum congreſſum, o uerba præclara: properabam ego ad te, acturus ſcilicet de miſſione mearum ad te litterarum, en tu mihi obuiam factus cœpiſti me ornare laudibus. Ecquid hoc eſt propenſæ tuæ in me uoluntatis? At tuas fortaſſe peruenit ad aures aliquid me litterarum monimentis conſignare, & propterea iſtæc de me famella uirtutis allexerat te ad amorem mei. Sed mehercule, cum tali, ac tanto officiorum genere litterarum ſtudioſos proſequare, minimè miror, te ſtudioſiſſimum eſſe, ac omnibus ornatiſſimum diſciplinis. Vale.

PEROTO BRVSCIOTO, Illuſtris Cornazzani Equitis, ſcribæ.

ET ſi mihi nullum ferè genus litterarum ueniebat in mentem, quod tibi à me putarem ſcribi oportere: tamen abundantia quadam amoris in te mei ad te

ſcribere

ſcribere ſum coactus. Tu, ſi me amabis, idem facies: ut quoniam locorum interuallo, temporumq; diſiuncti ſumus per litteras inter nos quàm ſæpiſſime colloquamur. Quoties nullum aliud ſuberit epiſtolæ argumentum, ſcribe ad me de tuo, & herois noſtri ſtatu, de indole, & præclaris ad uirtutem, & gloriam conatibus adoleſcentium iſtorum, ſed in primis Carolum Equitem, animi, & ingenij ſumma ſpe prędictum, ut ad me aliquid reſcribat romano more, omnino, uelim, cohortere. Franciſcum Pompeum egregia animi alacritate imbutum, ſummaq; ſpe uirtutis adoleſcentulum fac meo nomine plurimum iubeas ſaluere. Perſuade tibi, mi Perote, me deſiderium ueſtri uix amplius poſſe perferre. Petrus nepos & omnes ferè mei abſunt ad uindemias profecti; Schola ipſa uix habet numerum decem auditorum. Cupio & ipſe aliquò aduolare, atq; animum curis aliquanto relaxare. Ad uos fortaſſe uellem, ſi commodo fieri poſſet. Nam me libri imprimendi cura in urbe detinet inuitum; in eo conſignabuntur epiſtolæ omnes ad uos meæ. Sed iam Vale. Ticini octauo kal. Octob. 1579.

AD OCTAVIVM BVTTIGELLAM de eius familia.

BVTTIGELLA domus nulli pietate ſecunda eſt
Hæc aluit magnos ſemper in arma duces.
Edidit hæc ſtrenuos equites, Octauius heros
Eſt, & eques noſtri temporis omne Decus.

De Alexan-

DE ALEXANDRO BECCARIA
Patricio Ticinenſi, Petri F.

DIſcendi cupidus uarias peragrauit in oras
Noſter Alexander nobilis, atq; ſophus.
Eminet ingenio iuuenis iam notus eois
Vel ſimilis Macedo, nomen & eius habet.
Quid proceres agitent, quid mundus cogitet omnis,
Nouit, & in Tuſco pollet in ore lepor.

AD AVGVSTVM BERTIVM
Patricium Ticinenſem.

LVCIDA, mi Berti, tua nobilitatis imago
Recti animi mores exprimit iſta tui.

AD ALPHONSVM BECCARIAM
Comitem ruri commorantem.

IAM ſtudijs omnes dixere uale, omnis amœna
Rura uidere cupit, hæc ſtudioſa cohors.
Iamq; colunt agros iuuenes, puetiq; ſenesq;
Pampineas uuas carpere quique ſuas.
Sed quid ego ceſſos quid ſperno commoda ruris?
Ruſtica delicias uillula cuique parans?

Nectere

Nectere nunc flauam Cereri de rure coronam
Fas eſt, & paphijs texere colla roſis.
Turrigera ualeant ciues, qui in urbe morantur
Dum Comes ALPHONSVS perſica, poma legit.
Iuppiter ipſe caſas humiles, & rura colebat,
Hic coluere Deæ, hic pauit Apollo boues.
Fertilis ALPHONSVM capiet ſic copia rerum
Forſitan & dulci proluet ora mero.

AD GEORGIVM RIPPAM
Patricium Ticinenſem, & Iuriſconſultum.

RIPPA túi mores, ſolers prudentia iuris
Priſcorum laudes Comparat, acta refert.

AD IACOBVM MAYNVM
Ciuem Ticinenſem.

TE aſtrorum decus, & nemorum Latonia cuſtos
Artibus ingenuis inſtruit illa ſuis.
Et te Phœbus amat, Phœbus ſua munera pandit,
Qui te Threcijs iam docuit fidibus
Muſica nota tibi; uitæ tractas q; magiſtram;
Sed melius certè eſt, quòd probitate uiges.

AD GALEATIVM BECCARIAM Comitem Ticinenſem.

TV Comes honeſti tantum inflamatus amore
Delicias ſpernis, ſpernis & omne nefas.
AEtereas animus ſolers dum tendit ad arces,
Nil colis in terris, ni pietatis opus.

AD CAMILLLVM PAIARDVM EQVITEM.

IN ſermone tuo eſt luſus, mollisq; iocusq;,
Romaniq; ſales, mirus & ipſe lepos.

AD FRANCISCVM BERNARDINVM Cribellum ex intimis Borromæi Cardinalis ampliſſimi.

ET tua iam morum probitas, mensq; ætere digna
Omnibus ingenuis fertur in ore uiris.
In te dulcis amor recti, intemerataq; fides eſt,
Dum colis empyreum religione deum.

Sic brèuis èmenſo perfunctus tempore uitæ
Aetereis lætus tum potiêre bonis.

AD IO. PETRVM CONTIGNVM
Iurisprudentiæ profeſſorem in Ticinenſi Gymnaſio.

DVM ſapiens leges uoluis, monumentaq; Patrum
Certa tibi fiet parta labore quies.

AD CHRISTOPHORVM
Caſtronam, ciuem Ticinenſem.

NEMO ſuis fidicem tam pulchris concinit odis,
Quàm pollet ſermo thuſcus in ore tuus.

AD LODRYSIVM BECCARIAM
Patricium Ticinenſem.

ALter es Aeneas uiuo de flumine lotus,
Iuſſa Dei ſeruas, & pietate nites.
Omne tuum ſtudium confers, omnemq; laborem
Vt patriam ſerues, pauperiemq; leues

Propterea Cicero patriæ dicendus & alter,
Et pater, & ſimili dignus es adagio.

AD IO. BAPTISTAM TORNIELLVM Patricium Nouarienſem, & iuriſpruden. profeſſorē in Ticinenſi Gymnaſio.

Sacra tibi dantur muſarum munera digno
Parnaſi montis, quæ iuga tuta colunt.

AD CAMILLVM SVRIMANVM PATRIcium Mediolanenſem, & Regię D.C. Fiſci procuratorem.

CVM rerum oīum, quas ad bene uiuendum ſapiē-tia cōparauit, nihil amicitia maius, nihil uberius, nihilq; etiam iucundius hominū generi putarē poſſe reperiri: propterea, mihi ſic ſemper agendum eſſe co gitaui; ut quoad eius fieri poſſet, cuiuſq; generis ami-cos inſtituerē, qui gratioribus officijs à me diligenter culti, & ex aīo, & ſumma quadā uoluntate quotidie mei fierēt ſtudioſiores. ſed eorū in primis, qui eximia quadā & gloria, & dignitate, geſtarumq; rerū magni tudine florerent uiri nobiles, & honorati ſimiles tui, uel gratiā, uel beneuolentiā mihi modis oībus ineun-dam, & coniungendam eſſe ſemper duxi, & uehemē ter optaui. Quod ſi quis mihi interdum inopinatus rerum euentus ad alicuius ampliſſimi uiri amicitiam aditum patefeciſſet, eam occaſionem ita auidè ſem-

per

per ſum complexus, nihil mihi ut eſſe poſſet optatius. Quapropter cum proximis diebus Nicolaus Boſſius, uir religione probatus, & nobilis, officioq; mecum coniunctiſſimus, ſumma humanitate præditus, & quaſi comes, ſociusq; & deprecator fortunarum mearum tui quidem certè ſtudioſiſſimus, atq; amicitia tua digniſſimus mihi nuntiaſſet, te uirum grauem, ſumma familia natum, iudicioq; clariſſimum, & ijs temporibus reipublicæ propugnatorem, maximisq; rebus probatiſſimum Ticini fuiſſe, atq; cum illius conſuetudine frueretre, incidiſſetisq; ſimul in ſermonem eorum, qui bonis artibus, & ſtudijs præſertim ijs dediti dicerentur, quibus informari ſolet generoſa iuuentus, dixiſſe illum, me humanitatis, & antiquitatis ſtudioſum; ſicque te in eam mentem impuliſſe, ut filium tuum mihi facilè crediturus eſſes ijs ipſis artibus, & eloquentiæ præceptis inſtruendum; omnino cupiebam, te cum re dijſſes, conuenire, ſtudiumq; tibi, & induſtriam meam ultro polliceri, & amanter deferre. Sed interea tu tâquàm alter Aeneas, & Achates nebula ſeptus, & obſcuro quodam fuſus amictu Mediolanum redijſti, nobis utrisque neſcientibus. Quod ego eò moleſtius tuli, quò te auidius expectaram, & conuenire cupierã. Idq; cum præter opinionem, & contra uoluntatem meam contigerit, non alienum eſſe poſtea duxi ab inſtituto meo, ut propẽſionem animi mei, ſingularemq; beneuolentiam ijs litteris peeſpectam tibi, cognitãq; eſſe uellem. Quare ſcito, me in tuo aere eſſe, teq; opera mea, ſi tibi, cui maximè cupio, utilis eſſe uidebitur, pro uoluntate uti poſſe. Vale, Ticini kal. Octob.

AD

AD AVRELIVM GALINAM PATRIcium Ticinen. optimarum artium, & medicinæ profeſſorem in gymnaſio Ticin.

TV ſtudio uigilante tuo, tu Pallade dextra,
Iudicioq; graui iam ſuperas atauos
Egregias igitur laudes pro parte uirili
Carmina noſtra tuas qualiacumque canunt.

AD SIGISMONDVM PICINARDVM Senatorem ampliſſimum.

ET ſi mihi quotidie cogitanti quid ad te potiſſimũ ſcriberem, Picinarde Senator ampliſſime, quoue inſigni amoris in te, & pietatis meæ iudicio tibi notior eſſe poſſem, uidebar retrahi, propeq; deterreri ratione quadam pudoris mei, dignitatis, & amplitudinis tuæ: ijs tamen humanitatis, & modeſtiæ tuæ cõdimentis commotus, atq; confiſus, quibus te præſertim Ticini præditum aliquando noui, cum ſapientisſſimum, atq; iuſtiſſimum gereres huius urbis prætorẽ; nolo amplius diffidere, aut Senatorij nominis ampliſſimi dignitate, aut earum uirtutũ magnitudine, quæ te ad altisſimum iſtum honoris gradum iampridem ſuo iure perduxere; quin omnino uelim, & ad te aliquid eſſe litterarum mearum: non quod ſperem, fore, ut ex ijs tu delectationem ullam, uoluptatemuè capère poſſis; cum me rudem adhuc Apollinis tyronem

nem probè norim,& tu uir felici ingenio, acriq; iudicio natus, omni preterea diſciplinarum genere, laudandarumq; artium ſcientijs exornatus nihil expoſitum, nihil uulgatum, & triuiale ſentias, ſed ſublimia ſemper pertractes, & orationes tantùm ſale Romano conditas illo uetere deguſtare ſoleas; ſed certè, ut ex ijs hominem me incredibili tibi deditum pietate, & eſſe iam, & perpetuò fore cognoſceres. Vale, Ticini kalen. Septembris 1579.

AD IACOBVM ANTONIVM BERTIVM Patricium Ticinenſem & Iurisconſultum.

CVM doctus ualeas, quæ ſentis, dicere abundè
Fama tibi decus,& munera magna parat

AD PETRVM CHRISTIANVM Nepotem.

IN ſtudio quicquid confers lętabere multum
Temporis, & laudem doctus abundè feres.

THOMAE BARNO PATRICIO Laudēſi ſacrarum litterarum ſtudioſo.

EGO, mi Thoma, quantum repetere memoria præterita poſſum, nemo eſt mihi te amicus antiquior. Dilexi te, quo primum die cognoui, meque à te diligi ſemper iudicaui. Tuus deinde diſceſſus, & locorum

locorum diſſimilitudo priuauit me fructu iucundiſſimæ conſuetudinis tuæ: Tuum tamen erga me animũ cognoui multis rebus ante diſceſſum. Multa ſunt, quę temporibus illis inter nos familiariſſimè dicta, & communicata fuerunt. Deinde, oblitum me putas conſilij, ſermonis humanitatis tuæ? tandem Ticini aliquando eſſe cœpiſti, quid defuit noſtræ neceſſitudini? in maximis rebus vſus tuo conſilio ſum. In reliquis officijs, cui tu plus vmquam tribuiſti? ut domum uentitares, horasq; multas ſæpe ſuauiſſimo ſermone mecũ conſumeres. Omnia me tua ſemper delectarunt; Sed maximè, maxima cum fides in amicitia, tũ conſilium, grauitas, conſtantia, probitas, aliaq; per multa, quæ prædicare, ſoleo à te piè fieri, & humanè. Vale.

AD D. PAVLVM ANTONIVM montulmum Iuriſconſultum Præpoſiti Diui Theodori auunculi tetraſtichon.

LEGIBVS, hiſtorijs, & carmine cultus haberis,
Arguit ingenium lingua diſerta tuum.
Cui licet immeritò triſtis fortuna repugnet,
Attamen hæc olim vela ſecunda dabit.

HIERONYMO SALEMBENIO Ioſephi Equitis, F.

ET ſi à quo tempore Bononiam, tanquam ad mercatum bonarum artium profectus es, nullæ tibi redditæ fuerunt litteræ meæ: nihil ex eo tamen imminutum eſſe putabis, aut deſiderij, aut amoris erga te mei, quem certo iudicio meo de virtutibus tuis ab eo vſq; ſuſceptum, cum mihi magnam de te expectationem tua indoles promiſſit, non ſeruaui ſolum; ſed ét auxi. Sed tenuis homo fortunæ nolebam te adoleſcentem egregium, atq; optimis ſtudiis deditum inani epiſtola interpellare. Tu tamen ſcito, magna in expectatione te eſſe, eaq; à te expectari, quæ à ſummo ingenio, ſummæq; (vt ille ait) virtute expectanda ſunt. Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, (ſi diſcendi labor eſt potius, quàm voluptas) tantum fac, vt efficias; ne ve committas, vt cũ tibi omnia ſuppeditata ſint à clariſſimo parente, tutè tibi defuiſſe videare. Vale.

AD AVGVSTVM BVTTIGELLAM Patricium Ticinenſem.

QVI genus armifero Gallorum à ſanguine ducis
 Florida Ticini nunc viget iſta domus
Præcipuè populo tu iam laudaris ab omni,
 Fortunæ fueris, quòd, faber ipſe tuæ.

AD

AD ORLANDVM ZACERAM
Patricium Ticinenſem.

IN te cana fides, prudentia magnaq; pollet
Conſilium, grauitas, & pietatis honos.

CAROLO CORNAZANO
Sancti Mauritij, & Lazari Equiti
ſpectatiſſimo. S.

SCRIPSISSEM ad te antea, niſi me quotidie cogitantem, fore, vt tu noua clariſſimi parentis ægritudine impulſus cum eo ad urbem redires; feſelliſſet opinio mea. Nunc autem, cum ſerius id fieri videam, quàm putaram, cum amore incitatus meo; tam, quòd ex amantiſſimi patris, ſummiq; de me uiri mandatis hoc fueram pollicitus tibi, & Peroto diligenti viro diſcedenti; ſcribam ad te de ratione potiſſimum ſtudij tui. Quare ſic habeto breuiter, te in ijs, quæ ad latinè ſcribendum, aut loquendum pertinent, hoc quidem tempore, quo à nobis, ideſt tui ſtudioſiſſimis abes, uno Marco Tullio contentum eſſe oportere. Cęteros enim, ſi me audies, non tu quidem aſpernabere; ſed in tempus aliud reſeruabis. Nam, ut tu ſæpius ex me audiuiſti, pauciſſimi ſcriptores, etiam de antiquis, & doctis hominibus ueræ latinitatis nitorẽ ſunt aſſequuti, & ex perfectis, quid in oratione ſequẽdum, fugiendumq; ſit, nouo imitatori difficillimum eſt iudicare. Quapropter ego Marcum Tullium, eum

ſemper eſſe ſtatui, quē & pueri tuto ſequi potuiſſent, & numquam à ſe dimittere etiam ſenes deberent, qui noſtra ætate aliam uiam ſunt ingreſſi, ut cætera mittam, hoc vnum ſaltem audeo affirmare, ex ijs neminem romanè loqnendi partem aſſequi potuiſſe: Sed quoniam hac de re ſæpius ad te ſcribam; quæ de toto hoc genere dici poſſint, dicam aliàs pluribus, ſi te huic meo conſilio paruiſſe cognouero. Vale. Ticini nonis Septembris. 1579.

FVLVIO TACHONO NOBILI, & ſtudioſo Iuueni. S.

LITTERIS tuis humaniſſimè mihi, atq; elegātiſſimè ſcriptis tardius ut reſpondeam, quàm par erat, faciunt moleſtiſſimæ occupationes meæ, quibus mehercule ita diſtineor, ut ne reſpirandi quidem interdum hora ſuppettere poſſit. Quare, nullius uellem tibi negligentiæ nomine ſuſpectum eſſe uideri. Quoties enim plus ero aliquid otij nactus, videbis profectò me in colendo officio vſque adeo eſſe diligentem, vt tibi uni, cedam prętereà nemini. Cæterum ago tibi gratias, quòd tam bene de me ſentias, meq; epiſtola tua ijs laudibus ornes, quas ego licet nō agnoſcam; tamen quicquid à te mihi datum eſt, ab ingenuo animi tui ſenſu profectum eſſe puto. Ego autem uiciſſin elegantiam litterarū tuarum uehementer ſum admiratus, & quanquàm uideo te ſatis eſſe incitatum tua ſponte ad ſtudium cognoſcendæ virtutis neq; indigere cohortatione mea; tamen, ut ad propoſitam tibi honoris metam pergas, uehementer hortor. Vale.

EIDEM.

CArmina cui muſæ, Fvlvi, dictaſſe uidentur,
  Carmine qui feſſum docte leuare ſoles.
Accipe noſtra tibi, quam reddit charta ſalutem
  Officij ueris tota refecta modis.

AD IVLIVM CESAREM GEORGIVM,
Patricium Ticinenſem Annibalis F.

BElla ferox olim cieret cum claſſe Tyrannus,
  Armaretq; duces, ueliuolasq; rates.
Tu quoq; miles eras, aſt in certamine captus,
  Dum ſcytici premeres unius arma ducis.

DE LVDOVICO ALBVTIO
Concionatori ordinis D. Franciſci
Et Sacræ Theologiæ interprete
in Ticinenſi gymnaſio.

EXcitat is reſides veræ ad virtutis amorem,
  Aſtrigerumq; docet ſcandere poſſe polum.

AD CAMILLVM SALERNVM
Iuriſconſultum.

ET te fert animus noſtris inſcribere chartis,
  Quem docuit Phœbus, Pieridumq; chorus.

DE

DE IO. BAPTISTA DOSSENA
Ciui Ticinenſi.

SIRIVS immitis, cum deſæuiret in armis,
Terreret Venetos, Cypriacosq; duces.
Miles is in ſicco ſcandit tunc hoſtis ad arcem,
Et patefecit ibi fortia facta viri.

AD ALOYSIVM RVBEVM NOBILEM
iuriſprudentiæ, & politioris litteraturæ ſtudioſum.

CARMINA qui ſcribis Thuſco benè tincta lepôre
Ingenium fouit docta Minerua tuum.
Iudicium ſtupeo, miror uenamq; fluentem;
Atq; queror mecum diſſimilem eſſe tui.

IO. MARCO MONTISMERVLO
Patricio Dhertonenſi.

SECVNDVS iam, & propè tertius agitur annus, cum, & deſiderio uidendæ urbis vetuſtiſſimæ, & quòd amicorum litteris, atq, in primis tuis omni humanitatis lepôre conditis fueram per amanter inuitatus, Dhertonam ueni: vixq; ad ipſius portam ciuitatis perueni, cum mihi ſingulari quodam fato obuiam venit Vincentius, frater tuus, adoleſcens optimæ ſpei, nobilis,

nobilis, officio plenus,& cupidiſſimus cupidorum ſui à quo honeſta quadam contentione,ut domum mihi, veſtram deligerem hoſpitium totos eos dies, quibus iſtic mihi cōmorandum fuerat, mirificè fui coactus: In quam mehercule tanta omnium humanitate exceptus fui, vt quamuis perpetuam mihi memoriam de eo conſeruarim: nulla tamen mihi adhuc res venit in mentem, ac ne lingua quidē ipſa ſatis idonea viſa eſt: ad idipſum, pro dignitate exprimendum. Quid præterea? dicam de fructibus ijs,quos certè neq; vberiores, neq; præſtantiores capere poteram ex ſuauiſſima conſuetudine tua? Quæ mehercule tāti ſemper apud me fuerunt, & ſunt, perpetuò futura, conſequi uerbis meis vt minimè poſſim merita tua. Vale Ticini nonis Octobris. 1579.

AD ANTONIVM FRANCISCVM
Berretam Ticinenſem I. C. & iuriſpontificij interpretem in Ticinenſi Gymnaſio.

NOTA tua eſt probitas, teſtataq; tēpus in omne
Sed virtus etiam non probitate minor.
Herculeos etenim ſuperas lucubrando labores,
Hoc opus ingenij, corporis illud erat.

AD IO. MAR. SIMONETAM
Præpoſitum, & I.C.

TE Maro facundus docet, & Sulmonis alumnus,
Et pater exculti Tullius eloquij.

DE

DE MATTHEO CELLANOVAE Cauſarum Oratore.

EGREGIOR nemo fuit umquam rebus agendis,
Qui præſtet linguæ fulmine nullus erit.

AD IACOBVM FRANCISCVM Tortum, Patricium Ticinenſem, & Iuriſconſultum.

CONGRESSVS, choreaſq; per urbem læta iuuentus
Exercet quamquàm, te nihil iſta iuuant.
Candidulas uiſat, noſtro quæ flumine ludunt,
Nymphas, te in ſtudijs dulcis Apollo tenet.

ANTONIO, ET ALPHONSO, Fratribus Manrlianis, Patricijs Mediolanenſibus.

REDDITAE mihi fuerunt à vobis litteræ officio refertæ,& beneuolentiæ teſtes in me veſtræ. Ex ijs enim facilè perſpexi homines eſſe uos amantes mei: quod ego tanti facio; ut niſi uiciſſim uobis eximium meum, ac ſingulare ſtudium liberaliſſimè polliceret, hominem me eſſe non putarem. Ago útriſq; gratias,quod ad res ueſtras opera mea uti uolueritis; idq;

idq́; ut quàm ſæpiſsimè faciatis, etiam, atq; etiam rogo. Quoties enim amicorum aliquo fungor officio, fungor mehercule tanta uoluptate, nihil mihi ut eſſe poſſit, aut optatius aut certè iucundius. Quod mihi Hieronymum Vaccham ſororis veſtræ filium, adoleſcentem probum, mireq́; diligentem, & iam propè ſocium ſtudiorum meorum tantopère commẽdatis. Scitote nihil illo me charius habere; nec ex propinquis quidem, ac domeſticis meis eſſe quemquam, in quem uidear animo propenſior. Itaq́; ad uoluntatem in illum meam nullus cumulus accedet commendationis veſtræ. utinam ijs eſſem fortunæ muneribus adiutus, quibus illi melius poſſem opem ferre. Sed, me, niſi mea fallet opinio,& ea ſpes, quam de illo optimam iampridem concepi; nolo quemquam, aut ſtudij erga ſe, aut officij habere teſtem eo ipſo grauiorem.

Valete.

LAZARI CHRISTIANI
CLERICI TICINENSIS ORAT. ET EPISTOLARVM
LIBER QVINTVS.

Ad Io. Baptiſtam Rainoldum excellentiſs. Mediolani Senatus Præſidem.

OMNIBVS quidem, qui res aut magnas, aut magnopere expetendas concupierunt. Rainolde, Præſes præſtantiſsime, omnia experiri par viſum fuit aut certè non alienum à volũtate. Quod ſi quem vel natura, vel vlla præſtantis ingenij vis forte defeciſſet, aut minus inſtructus fuiſſet laudandarum rerum, magnarumq; artium diſciplinis: Eum tamen quem potuit, curſum tenere; etiam probandum fuit. Nam, & prima ſequentem (vt ille ait) honeſtũ

etiam viſum eſt in ſecundis, tertijsq; ſubſiſtere. Quandoquidem in pręſtantibus rebus magna videntur ea, quæ ſunt optimis proxima. Quod in Poetis, oratoribus, muſicis, opificibus, & omnino omnium artium magiſtris facilè eſt iudicare. Quorum tanta multitudo eſt, ſemperq́; fuit, tanta in ſuo cuiuſq; genere laus; vt cum ſumma miremur; inferiòra tamen etiam quandoq́; probemus. Quæ à me dicuntur eo nomine; Præſes digniſsimè, vt intelligas, quid me tibi potiſsimum impulerit ad ſcribendum. Quare, ſic habeto breuiter, me ſuperiore anno ex obitu Raſarij, præſtantiſsimi doctrina viri, diſſertiſsimiq́;, rhetoris Ticinenſis Academiæ noſtræ maiorem certè, quàm quiſquam putauiſſet, animo cæpiſſe dolorem. Quòd & amico amiſſo, cum conſuetudine iucunda, tum multorum officiorum coniunctione me priuatum eſſe videbam; & ex interitu tanti uiri dignitatē gymnaſij noſtri diminutam eſſe vehementer dolebam. Itaq; mihi, in primis vir coniunctiſſimus mecum conſiliorum magnum, & triſte deſiderium reliquit auctoritatis, & doctrinæ ſuæ. Sed cum mihi quotidie præſtolanti, vt tāti viri iacturam ampliſsimus ordo reſarciret, cum virum quempiam antiquitatis peritum in

eius

eius locum delegiſſet ſerius fieri videretur, quã & ego voluiſſem, & boni omnes vehementer optare viſi ſunt: in eam me mentem amicorum cohortationes induxerunt; vt in eam rem minus aptam fortaſſe petitioni meæ pararem & meditarer conatus meos. Cumq; cogitarem id, quod res eſt, ſummum me locũ, ac pleniſsimam dignitatis ſedem in vetuſtiſsimo, ac digniſsimo orbis terrarum Gymnaſio petere; perpendebam etiam omnem mihi adhibendam eſſe rationem, & curam, laboremq́;, & dignitatem: quorum maximam partem in amicorum ſtudijs ponendam eſſe cenſebam. Itaq;, ad multorum beneuolentiam, maximeq́; nobilium voluntatem conciliandam, mandaui litteris hoc quicquid eſt indicium laboris, & induſtriæ meæ. Quòd ſi tibi vni omnium ſapientiſsimo, lõgeq́; doctiſsimo, ac præſtantibus alijs ingenio, atq; doctrina viris minus fortaſſe videatur habere poſſe dignitatis; cogitare debes, me ne vnius quidem anni decurſu haud pallo maiora præſtare potuiſſe. Cum præſertim, maiorem etiam eius temporis partem erudiendis Ticini iuuenibus uel inuitus ſemper cõſumere ſim coactus. Credas tamen fore, vt adhibito ſtudio, & diligentia, præſtantiſsimorumq́;

rumq; virorum, maximeq; tui, (quod ſpero, & opto) & totius ordinis ampliſsimi præſidio, mihi adhuc iuueni multa ſuppetere poſsit ætas ad maiora. Neque arbitror temere feciſſe, qui mihi hoc potiſsimum exercitationis genere amicos pleroſq; viros aut ſplendore nominis, aut opinione virtutis illuſtres parandos eſſe cogitarim. Nam, & ſi nonnulli minus ſuffragandi ſtudia nouerint erga me; petitori tamen aliquid dignitatis afferre poſſe, non ambigo: Sed te, qui vnus omnium certè plurimùm potes, & vales, Reipublicæ cuſtos, Senatus præſes, propugnator ſalutis, ſi minus in hac ipſa petitione; at alijs, (ſi quandò fiet opus) in rebus amicum habere vehementer optamus.

EIDEM

EIDEM PRAESIDI.

TE tulit inſubrum genus, heroumq; propago,
Præſidium gentis, lumen & Italiæ.
Iura patrum præſes voluis, monumentaq; Regis
Heſperiæ, atq; ſuo nomine cuncta regis.
Hinc te magnanimi vox concinit iſta Senatus,
Nomen & extollit laudibus aetereis.
Concilio te gens credit ueniſſe Deorum,
Ore loqui gemmas, nectar, & ambroſiam.
Inſubrum proceres illuſtri vincis honore
Tu generi famam, tu Deus omne paras.
Te pater enutrit Rex ſeruantiſſimus æqui
Inſpiratq; animum, cunctaq; agenda docet.
Is tibi iura refert, leges & ſancit honeſtas
Audaces populos, ut patriamq; regas.

DE PAPINIANO GERARDO Iereconſulto.

INGENIO ſemper nituit domus ampla GERARDI,
Laudibus at ſuperat Papinianus auos.
Pollet hic inſigni iuris prudentia, & acri
Conſilio famam comparat egregiam.

AD

AD PETRVM VHERMEM
Clariſſimum Bobij Comitem.

SPLENDIDA, Petre comes, tua ſtyrps digniſſima laude eſt,
Virtutis ſpeculum, gloria Martis enim eſt.

DE OCTAVIANO FERRARIO,
Patricio Mediolanenſi, & clariſſimo Philoſophiæ interprete in Ticinenſi Gymnaſio.

AVREVS, vt, Titan ſua ſpargit lumina terris.
Semina; ſic virtus ſpargit vbiq; ſua.

AD PETRVM CHRISTIANVM
Nepotem.

PERGE, nepos ſtudio diſcens contemne laborem,
Tranſiet ille breui fama perennis erit.

AD IVLIVM CAESAREM,
Et Gabrielem Nobiliſſimos S. Nazarij
Marchiones.

INCLITA progenies veſtra eſt clariſſima mundo
Quæ proceres alit, & præbet ad arma duces.

AD OCTAVIANVM CATANEVM
Nobilem Medicum Ticinenſem.

TE numquàm maculis aſperſit Candida morum
Vita tua, & doctæ Palladis arte micas.

AD HIERONYMVM CASSONVM
Clariſſimum Philoſophiæ interpretem
in Ticin. Gymnaſio.

IVDICIVM, grauitas, prudentia, ſummaq́; virtus,
Ingenua & probitas te ſuper aſtra ferunt.

AD NOBILISSIMVM HYPPOLITVM
Vicecomitem patricium Mediolanenſem
Ticinum habitantem.

EFFIGIEM præ te fers nobilitatis, & æqui,
Es ſatus ex alto ſanguine, ſtirpe ducum.

MARCO CORREGIAIO CANONICO Regulari Lateranenſi Præpoſito, & Concionatori.

QVAE nullo poſſunt ſilentio præteriri, multa quidem ſunt, ut,tu non ignoras, MARCE ſapientiſſime: ſed unus amor, quem pulchri deſiderium, rerumq; omnium auctorem Plato deſcripſit, prætereaq; honor, & obſeruantia, quæ virtuti debetur: & ſi ſub ruſtico interdum pudore præpedita comprimi videatur occulta, vi tamen longe maiori, ex imo tandem pectore, tamquam occultis irrunpens è latebris ſcateat, oportet, & flagrantibus quibuſdam deſiderij igniculis palam fiat, neceſſe eſt. Itaq; cum pulchri deſiderium, quod eſt in te, hoc eſt concinnitas illa plurimarum uirtutum tuarum traxerit me totũ ad amandum, atq; obreruandum: & ſi tibi, cui maximè ſemper optaui, nullum hactenus extitit eius indicium amoris, & obſeruantiæ meæ; habebis tamen ex ſcriptis meis maius quiddam fortaſſe ad decus, & gloriam nominis tui. Vale.

AD HIERONYMVM CORNAZANVM Luſitaniæ Regis Equitem Clariſſimum.

CORNAZANE decus, quo numquam gratius ullum
  Aetereo uenit ſidere, noſter honos.
Principium libri, finis modò muneris eſto,
  Dulcis Apollo mihi, caſtalis vnda mihi.
Perpetuò noſtris tua uirtus florida chartis
  Viuat, & ingenium, gloria, fama, Decus.

A D

AD HERCVLEM MALASPINAM Clariſſimum Marchionem.

A QVO tempore principatus, & opum auiditas mortalium animos inuaſit, HERCVLES Malaſpina Clariſſime, qui tum erant animo fortiores, aut magis in exiſtimando ſapientes, aut ad actiones nobili viro dignas alacriores viri magnanimi ſimiles tui: ij meo quidem iudicio fuere, qui rebus conſtantiſſimis geſtis cœperunt paſſim rerũm potiri. Nam, cum primis temporibus illis homines ferarum more per ſiluas, cãposq; decrraſſe legamus quaſi rationis expertes; omnino oportuit primos aliquot extitiſſe, qui cum plus animo, viribus, & eloquentia poſſent, cœperint ſeſe ipſos agnoſcere, humanæ uitæ rationem inire; & præclaris conatibus ceteros rudiores ad humanæ vitæ uſum, ſocietatemq; tranſducere, & in maximos cœtus aggregare, ac aggregatos iuſticia, & moribus erudire: Tum inuento & diuino iure & humano tectorũ coniunctionem, & domicilia quædam erigere ſpatijs diſtincta communibus, quæ paullatim ſuis etiam coniuncta mœnibus ſepſerunt: Mox,

IVRA MAGISTRATVSQVE
legunt, ſanctumq; Senatum.

HINC homines diuino rationis uſu paullatim imbuti, quotidie melius ciuilem cultum agnoſcen-

tes, humanamq; ſocietatem expetentes ſanctiſsimas colere amicitias cœperunt, & præſtantibus illis ingenio, virtute, & eloquia uiris, qui ſibi duces fuerunt ad benè agendum ſtudium, & obſeruantiam debitã præſtiterunt. Illi autem qui, quales fuerint, eorum certè præclariſsimis in Rempublicam meritis, ſumma omnium admiratione uiuendo colebantur, & poſt obitum erant uiuentium uotis in numero Cęleſtium collocati, æuoq; frui putabantur ſempiterno. Quorum poſteritas (niſi ſecus rerum tulerit euentus) & in agẽdo uirtutem ſemper ſecuta fuit, & partam ab illis gloriam egregiè ſibi conſeruauit, & auxit. Hoc de præclariſsima, & omnium uetuſtiſsima Malaſpinarum domo ueſtra tot comitum, tot Marchionum, tot Heroũ, tot Ducum, & Pontificum alumna, facilè eſt iudicare; cuius præclariſsimas actiones, & res uel bello fortiter, uel pace ſapienter geſtas cum nec ipſa quidem diligens ueterum ſcriptorum induſtria ſatis explicare potuerit pro dignitate, cogor & ipſe inuitus omnia ſilentio præterire. Vale igitur, & me in tuorum numero adſcribe. Ticino. kal. Nouembris. 1579.

AD EVMDEM
de eius familia.

INCLITA progenies toto uenerabilis æuo
Eſt patriæ ſplendor, Martis & acris honos.

AD

AD GALEATIVM BIRAGVM
Vicobiani dominum.

HErovm ſatus es priſco de ſanguine auorum
Iudicio præſtas, & pietate viges.

AD IO. PETRVM DOSSIVM
Patritium Mediolanenſem & Iuriſprudentiæ interpretem in Ticin. Gymnaſio.

TE labor inſomnis, Doſſi, ſtudiumq; iuuentæ
Laudibus exornant, præmia larga parant.
Laurigerosq; feret tibi uirtus parta triumphos,
Si qua cœpiſti, progrediere uia.

AD AVGVSTINVM CAMERAM
artium, & Medicinæ doctorem.

ET tu multiplici cumularis laudis honore,
Et meritis nomen uiuet in orbe tuum.

AD

AD PHILIPPVM LEONIVM
Venerabilem Epiſc. Eccleſiæ Ticin.
Canonicum.

COMPOSITI mores, pietaſq; micantibus aſtris.
Te tollunt miris laudibus, atq; modis.

AD IO. DOMINICVM CARAZANVM
Sanctiſſimæ Inquiſitionis præfectum Ticini.

GRAVIS, & honeſta in primis opinio fuit, & eſt doctorum hominum, uirorumq; probitate nitentium, & longo rerum, ac ſtudiorum uſu prudentum, ab ingenuis uiris, probis, & ſapienter educatis nonni ſi actiones uirtutibus ipſis congruentes proficiſci ſolere; & quò maiore quiſquam uel uirtute præditus eſt, uel probitate conſpicuus, eò præclarius aliquid ſemper ex ſe ꝓmere, qđ & alios delectet, & ſeipſum laudibus illuſtret; cũ præſertim uirtutis laus oĩs in actione ſemper conſiſtere uiſa ſit. Hæc autem omnia ita prædicantur de te, Inquiſitor integerrime, uel adeò potius luculenter ipſe ſum expertus; nihil ut, uel audiri poſſit illuſtrius, aut expectari, & effici ab integerrimo uiro, homineq; nobiliſſimo, ac ſapientiſſimo dignius. Nam, cum agerem tecum ea de re, cuius tu po

ſtea

ſtea onus aliqua fortaſſe cum dignitate coniunctum ſubeundum mandaſti Io. Mariæ Simonetæ D. Theodori Præpoſito, uiro optimo & homini longè peritiſſimo, quanta humanitate ac honeſti deſiderij,& liberalitatis officijs petitioni tum meę,fueris obſequutus, ſum mihi ipſe teſtis;Quanta uerò dexteritate,quanta æquitatis adhibita ratione, uel quanta potius ſapientia ſanctiſſimum iſtud, & prępotentis munere Dei ſanctiſſimi ſummi Pontificis inuentum Pij Quinti inquiſitionis munus geras, & adminiſtras, ſatis clariſſima, & una omnium uoce circumfertur ea de re laus tua. Sed ſi plenius tibi perſpecta,& cognita fuiſſet, mea in tè, ac totam religionem ueſtram obſeruantia,uel ſumma potius pietas; dubitare minimè poſſum; quin tibi me obſequio fortaſſe pleniori deuinxiſſes. Ego enim initio ſtudiorum meorum, dedi operam doctiſſimis, ac fideliſſimis huius ordinis ueſtri interpretibus; cũq; uerſarer frequentius in ſuauiſſimis ſtudioſorum fratrum congreſſionibus; tantum in unoquoq; noui probitatis, & modeſtiæ, tantopere fui illorum ſanctiſſimis omnium moribus, & religionis obſeruantia incenſius; ut uehementer optauerim, ac ſtudium etiam meum omne fixerim, & locarim, ut in ampliſſimo, ac ſanctiſſimo ordine ueſtro adſcriberer. Et quamquàm, fato, neſcio,quo nihil ea de re poſtea confectum fuerit; ſanctiſſimè tamen colui ſemper religionem iſtam, quæ & excellētia hominum doctiſſimorum, & ſanctiſſimis, ac probatiſſimis beatiſſimorum patrum ſummorumq; pontificum actionibus prædicatorum nomen meritò ſibi iampridem uindicauit, & tamquam exemplar ſanctiſſimæ fidei, ſpecimenq; probitatis, & omnium uirtutum theatrum toto terrarum orbe mirificè

rificè

rificè ſpectatur, colitur, & vno omnium orè celebratur. Nunc autem eò propenſior eſt mea in te, ac fratres omnes uoluntas, quò mihi gratiora extiterunt officia veſtra. Valete.

AD HIPPOLYTVM RVBEVM Comitem clariſſimum, & Ticini Epiſcopum.

ITA natura comparatum eſſe videtur, Pręſul ampliſſime, ut quemadmodum ad vſus hominum neceſſarios multa oportet genera artium excoli in terris: ſic non pauciores gignantur homines, qui ad eas artes excolendas ſinguli ſingulis uideantur natura ipſa propenſiores. Nec quiſquam poſſe uidetur naturæ ſtimulis repugnare. Vnde præclaro illo fertur adagio.

Tu nihil inuita facies, diceſue Minerua.

Quæ à me tibi ſcribuntur eo nomine, quòd, cum tu uel prædicatione hominum mihi neceſſitudine coniunctiſſimorum, quos ſcilicet fefellerat illorum amor mei, uel tua potius animi in bonos propenſione ſæpius euocares ad miniſteria quædam maioris fortaſſe dignitatis, de quibus ego cum plurimas tibi gratias egiſſem perpetuò quidem habiturus: tamen cum ea minori fortaſſe, quàm par erat modeſtia, minorique ſummi de me uiri habita ratione, ſubire recuſaſſem; ueritus, ne tibi præſtantiſſimo Præſuli, aut inconſideratiſsimæ temeritatis notâ ſuſpectus ſim; aut parum conſtans meritò potuiſſem aliquando uideri; uolui

pro mea ſumma in te obſeruantia, ſummaq; item pietate ijs litteris à te petere, ut apud te aliquis ſit locus excuſationis meæ. Nam mehercule, ita retrahebar natura ab illis muneribus perfungendis, vt omnino obſequi non poſſe uiderer mandatis tuis. Quod cum ego tuliſſem ſemper moleſtiſſimè; tum illud moleſtius; quòd tanta ſemper fuit uis pudoris præſertim in te mei, ut exprimere ſenſa cupientem, vel balbutie quadam ſæpius impedierit, vel maximo meo cum mœrere me certè retardarit. Eaq; de re, relinquebatur inde quotidianus in me angor quidam maximus, & animi ſolicitudo, ut opportuniorem aliquam, vel loci, uel temporis occaſionem nactus redirem ad te, quoad tua pateretur humanitas, melius explicaturus rationem ſententiæ meæ. Sed prouidentiori deinde animi conſilio, decreui, quæ coram antea cupiebam expromere nunc abſens audacius. Neq; enim uolo, ſicut me, epiſtolam ipſam erubeſcere, & mehercule, numquam mihi tantum arrogaui, vt à te ullius cauſa miniſterij putarem poſſe requiri. Tanti ſemper me feci, ut inutilis Dei ſeruus utinam uel iure potuiſſem appellari. Quod ſi libet tibi pro tua humanitate, altius ut repetam rationem inſtituti mei; ſic habeto, me, annos, cum eſſem iam vnde uiginti natus, an dicam cœleſti aliquo mentis inſtinctu decreuiſſe arduā aliquam ingredi religionem: ſed ueteris, plenæq; pietatis meæ lachrymæ matris, ſuſpiria fratrum, paruulorum luctus nepotum, qui iam tum ſibi me emolumenti aliquid ferre poſſe, videbantur ominari; Platonis quoq; præceptum, quo admonebar, me non mihi tantum eſſe natum, cognatorem item omnium, & amiciſſimorum preces clericum me eſſe voluerunt. Itaq;

cum ea ætate, ne prima quidem noſcerem rudimenta litterarum, cœpi ei rei uehementer ſtudere. Poſtea uerò Ticinum me contuli ſacrarum præſertim legum ſtudijs operam nauaturus. Sed, cum paupertatis cauſa, frugum inopia, maximaq; annonarũ caritate perſeuerare minimè poſſem; adhibui peculiare ſtudium auctoribus ijs, qui de lingua latina ornatius, perfectiusq; ſcripſere. Hinc conciliata mihi optimorum ciuium, doctiſſimorumq; uirorum amicitia delectatus ſum, ualdè eiuſmodi meo iuuentutis erudiendæ munere. Quod quamuis plerisq; uideatur minus habere dignitatis: tamen quod ſcire præclarum eſt, id cur docere turpe ſit, neſcio. Atqui olim Dionyſius Tyrannus, cum Syracuſis expulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe; & Cicero quoq; ſublatis iudicijs, amiſſo regno (vt ille ait) forenſi, ludum quaſi habere cœpit. Quare noli amabò te mirari, tantopere delectari me hoc ipſo exercitationis genere. Dabitur fortaſſe, ut ætatis maturitate mutari poſſit conſilium meum, & tum facilè patiar, grauioribus fortaſſe in rebus tibi me perpetuò deſeruire, præſtoq; ſemper eſſe. Interea, rogo te, ſatis me excuſatum habere. Vale, diuq; feliciſſime viue.

DE

DE SE IPSO.

EXTORSI vitam, noctes expertus amaras,
Obfuit & cerebro cura, dolorq́; meo.
Vt labor vnanimes, dulcesq́; pararet amicos;
Et fortuna mihi, quod negat, auxilium.

AD PETRVM NEPOTEM.

PETRE, probum fieri cures, mea maxima cura
Si cupis Empyreum cernere poſſe Deum.
Te decet honeſtum ſemper ſeruare pudorem,
Et memorem recti nocte, dieq́; fore.
Illecebras fugias molles, & turpia quæq́;
Officient animæ garrula verba tuæ.
Atq́; preces Chriſto ſupplex perſolue benigno,
Actus ut ſemper dirigat ipſe tuos.
Sic eris æternis, muſis & Apolline dignus,
Aonio, & dabitur labra rigare lacu.

BERNARDINO POLERANO
S. Pauli decolati clerico regulari, S.

PVTARES ne mirandum mihi quiddam uiſum fuiſſe uidere, cùm te vidiſſem? uiſum autem fuit propter hanc cauſſam, quòd cum eſſet mecum Carolus Lombardus, uir & ipſe pietati, ac religioni maximè propenſus, communis amicus, meq; docuiſſet modeſtiam, religionem, ſanctiſſimos mores, excellentiam deniq; doctrinæ tuæ, putabam mehercule, quòd illis ego eſſem parumper imbutus, tot, tãtaq; ornamenta uirtutis, non in alio, quàm in homine quopiam ſene, diuq; in bonis exercitato reperiri poſſe. Te aũt cum uidiſſem, uix, (ſic enim mihi uiſus es) adoleſcentiam egreſſum, & bonis omnibus ornatum diſciplinis, tanta cum admiratione affectus, tantaque magis afficior quotidie, ut de te mirari non poſſim deſinere. Dij immortales, quid hoc eſt, niſi numinis aliquid in homine cooperantis? tanta enim ſimulachra uirtutum, quanta in te præſertim uno perſpexi, nego hominem per ſe quempiam comparare. Quamobrem, niſi diuinus ille ſummi Dei, & ſeruatoris noſtri timor, cui te iampridem dicatum uideo tantum in te ſapientiæ ſpirauerit, non eſt, quod ſuſpicari poſſim aliud, aut debeam. Hunc ego pro me rogatum te, uelim, roges, ut aliquid mihi gratiæ ſuæ dignetur pariter impartire.

Vale.

CAROLO

CAROLO MANRLIANO, EGREGIO iuueni Mediolanenſi Romæ commoranti in Aula Ampliſſimi Cardinalis Albani.

CVm Antonio Manrliano, uiro nobili, & probitatis alumno, patre tuo, ſumma mihi, & in primis honeſta neceſſitudo eſt, mutuis officijs ſanctiſſimè conſtituta. Nam & ego multos annos contuli operam, & induſtriam, ut & optimis artibus, & plurimis beneficijs meis ornarem Hieronymum Vacchã, adoleſcentem probum, & nobilem, mireq; modeſtum, conſobrinum tuum; fueruntq; res eius oẽs mihi non minori curæ, quàm meæ; & ipſe idem pater tuus, quocunq; rerum ferret euentus, viciſſim operam, & ſtudium ſuum omne pollicitus eſt, & detulit amanter. Ex eo factum eſt, ut diceret mihi ſæpe habere te filiũ egregia ſpe ſummæ uirtutis adoleſcentem Romæ, uerſantem in aula Albani Cardinalis ampliſſimi, apud quem ſtudio, & gratia plurimum poſſes; Quãobrem uehementer cuperet, ut, ſi minus reliquis officijs, quibus hoc tam longo interuallo locorum, fungi prohibemur inuiti, aliquo ſaltem litterarum bono inſinuarem me in amicitiam tuam. Quare, cum eſſem hoc tempore typis, (vt nunc loquimur) impreſſorijs commiſſurus monumenta quædam laborum, & vigiliarum mearum; opere præcium eſſe duxi, dare hoc ad te quicquid eſt indicij, officij, & amoris mei.

Vale. Ticini Idibus Octobris.

M. D. LXXIX.

AD

AD HIERONYMVM OLEVANVM Patricium Ticinenſem, & Iuriſconſultum.

MIhi ſæpius comparationem quandam facienti, quibus potiſſimum à me plurimùm tribuendũ eſſet officij, Hieronyme Doctor humaniſſimè; princeps patria ſemper viſa eſt,& parentes, quorum in primis obligatus eſſem beneficijs: proxima domus; & deinceps bene conuenientes propinqui. Quare, ſi quos vmquàm mihi ex præſtantibus uiris, aut doctis hominibus obſequio demerendos eſſe duxi; eos ſemper habui potiores, qui ex eadem patria ortum ducerent viri optimi, & tui ſimilium ſtudioſi. Itaq; te,non tam, quòd iuris prudentia excellas, & ijs uirtutibus ornatus ſis, quæ te ad ampliſſimos multos iampridem dignitatum, atq; honorum gradus ſuo iure perduxere; quàm, quòd germana patria ortus ſtirpe antiquiſſima ſis, plurimi ſemper faciendum eſſe duxi. Nam mehercule, & ſi ipſa uirtus, nullo interueniente, etiã ab improbis, & perditis hominibus beneuolentiam conciliat; & me tibi maximè traxerit ad amandum tua uirtus, tua iuris, & legum ſcientia, tua deniq; vitæ ſuperioris integritas, & ſpectati mores: vna tamen patriæ charitas nihil mihi tecum habet antiquius. Quãobrem, ad teſtificandam memoriam tuam ſcriptis meis, cum illa quidem valent, quæ tu præclariſſimè, integerrimeq; geſſiſti in magnificentiſſimis præturarum, aliarumq; dignitatum muneribus, quæ tibi delata fuerunt ab ampliſſimo Mediolani Senatu, alijsq; principibus inſubrum uiris, præſertim Bobij, Derthonæ, &

næ, & in regimine Claudij cognomento Landi, Comitis, & principis illuſtriſſimi; ac in plurimis quoq; rerum Ticinenſium magiſtratibus; pro quibus omnibus ſapienter, & feliciſſimè geſtis, ampliſſima tenes, quæ ipſe uidi priuilegia: Sed ut antea ſcripſi, vna patriæ charitas, qua potiſſimum impulſus ſum ad te ſcribendum; ita omnes illorum ordines amplectitur, ut etiã non dubitarem pro te, (ſi tibi profuturum eſſet,) mortem oppetere. Vale.

IVLIO LVDOLPHO PATRICIO Ticinenſi Paulli. F.

ET egregius Poetarum ille princeps Homerus Vlyſſem Ithacæ Regem ſapientiſſimũ finxit, & ex Marone quoq; noſtro facilè conijcimus fuiſſe illum incredibili facundia præditum, conſilio vafrem, bello egregium, multisq; præterea ornatum uirtutibus: quem tamen ipſum parua quadam corporis ſtatura uirum fuiſſe, ſatis, & ad unguem patefaciunt auctores ijdem celeberrimi. Hæc autem à me tibi ſcribuntur eo nomine, IVLI nobiliſſime; ut doctiſſimo cuiq; uerum uideri facilè poſſit Ariſtotelis illud ſapienter dictum; uirtutem ſcilicet unitam efficatiorem ſæpiſſimè fore, cuius exemplum præclariſſimum in uno te; peſpici põt optimè; quippe qui peracri iudicio viges, ingenio præſtas, & urbanis maximè rebus oĩum conſenſu polles. Quamobrẽ facilè eſt uidere, claros, & ho

noratos

noratos viros aſſiduè delectari ſuauiſſima conſuetudine IVLII LVDOLPHI, parui quidem hominis;ſed ornatiſſimi tamen uiri. Quid in muſicis, ceterisq; litterarum ornamentis?quibus profectò ita excultus es, ut uel earum tantùm amplitudine virtutum gratus omnibus exiſtas, atq; iucundus. Hoc mihi ſæpius admiranti optabile ſemper fuit, ut ad amicitiam tuã dulcis pateret aditus. Tu uerò ex his litteris argumentum habebis certiſſimum, non ſolum futuri; ſed iam inueterati amoris mei. Vale.

FRANCISCO BERNARDINO
Barracho, viro nobili, & probo. S.

IO. Auguſtinus honeſtæ indolis adoleſcens tuus,uel potius noſter ſæpius mihi à te litteras reddidit pleniſſimas amoris, & inſignis cuiuſdam pietatis ſale mirificè conditas. Verè dicam,humiliſſimus fio, diuinoq; totus cogor incendi amore, cum tuas litteras lego. tantus eſt enim in illis ardor charitatis, & adeò graues ad benè, beateq; uiuendum cohortationes; ut quamuis antea mihi ſic ſtatuerim traducendum uitæ meæ curſum, ut tu quamuis ſanctiſſimè mones: tamen ſuauiſſima earum lectione non feruẽtiori etiam me incendi charitate, ac de meliori uita ſemper cogitare, ducerem alienum à Chriſtiano more. Cum præſertim, & mouear amanter monitus, & exemplis prouocer tuis. Vale.

PAVLLO

PAVLLO ANTONIO CAMPEGIO nobili noſtro diſciplinarum alumno. S.

ETsi nihil mihi abs te poſtea quàm à nobis diſceſciſti, nec à quoquam tuorum alatum eſt de te noui: mihi tamen, qui te ſemper oculis tuli, faciendum eſſe duxi; ut ad te aliquid eſſe vellem litterarum mearum, quibus & ego te cohortarer ad nos quàmprimum redire, & tu me memorem tui facilè perſpicere poſſes: quamquàm hoc tu certo ſcire poteras etiam me tacente. Et mehercule uix amplius fero deſiderium tui. Cum has litteras eſſem obſignaturus, nuntiauit mihi Hieronymus iuuenis probus, & nobilis conſobrinus tuus, eodem te de nobis ualde teneri; urbemq; & ſuauiſſimum eloquentiæ ſtudium uehementer expetere. Quod ſi ita eſt, conſilium tuum, & laudo uehementer, & probo, nec mediocri perfungor lætitia, te tui ſemper quàm ſimillimũ eſſe. Quemquàm in lætitia dolebamus te, qui plus ingenio, & eruditione, uales & non obſcura grati animi erga me tui ſemꝑ indicia dediſti hoc interuallo temporis commiſiſſe, ut oblitus noſtri prorſus eſſe uiderere. Noli ſi me amas, amplius committere, ut à me partes requirantur tuæ. Leua me quàm primum moleſtia iſta intermiſſionis litterarum tuarum. Petrus quidem meus, uel potius tuus, ſi eſſet hoc tempore mecum in vrbe, à me quidem fuiſſet cohortatus, ut ad vos ſcriberes: uel potius ſcripſiſſet ille libenter per ſe, qui te, fratremq; tuum unicè diligit, & in primis amat; ſed & ipſe rus profectus eſt, non iam uoluptatem ex uindemijs, ut uos; ſed mœrorem, triſtitiamq; capturus, ex obitu chariſſimæ matris ſuæ;

cuius,& tu manes,ut aliqua mecum pietate proſequi, uelis,etiam, atq; etiam rogo. Tu cum ueneris,ſperato fore, ut ſcholam noſtram fortaſſe offendas auctiorem. Vt autem quàmprimum uenias opto uehementer, & quæſo. Vale,& honeſtiſſimis parentibus ſalutem plurimam meis uerbis. Ticino Quinto kalen. Octobris. 1579.

AD MARCVM ANTONIVM Guidobonum Caualchinum Patricium Ticinenſem, & Iuriſconſultum.

NIMPHAE lucidulo noſtro quæ flumine ludunt
Et tua Ticino quæ propè tecta colunt.
Hæ tibi dum fluuij ad ripam reſonantibus vndis
Exercent choreas, lætitiam pariunt.
Condidit in niueo Phœbus tibi pectore leges,
Teq; ſuo nutrit Calliopea ſinu.

AD CAESAREM CVRTIVM egregium iuuenem Petri Antonij fratrem.

CVRTIVS es Cæſar Romano ſanguine natus
Romani ſimilis uiribus, atq; animo.

AD FEDERICVM SCARAMVCIAM Comitem Clariſſimum.

ET celebris totam uolitat tua fama per vrbem,
Ferris, & in Cælo laudibus egregijs.

AD

AD PETRVM FRANCISCVM BALBVM nobilem Iureconſultum Io. Baptiſtæ. F.

BALBVS es, at non es, cum ſemper rite loquaris,
Et lepidè leges, iuraq; diſcutias.
Integer es vitæ, & nulli pietate ſecundus,
Legibus atq; ſtudes, quemq; iuuare ſtudens.

AD IO. BAPTISTAM PASQVALIVM Iuriſconſultum Ticinenſem.

INCLITA parta tibi uirtus, ſapientia legum
Eximias laudes, largaq; dona parat.

AD CHRISTOPHORVM CVRTIVM Cauſarum Oratorem Ticinenſem Io. Mariæ. I. C. F.

CVRTIA ſeruatrix patriæ fuit inclita proles
Contulit ei intrepidus Marcus opem iuuenis.
Hac genitus cum ſis patriæ prodeſſe cupitor,
Cauſſas ſic agis, ut, te, patriamq; iuues.

AD FRANCISCVM HERNANDES à uilla Ticini Caſtri Hiſpaniarum Regis nomine præfectum.

EX omnibus artibus, quas princeps natura rerum ad ingenuum ciuem nobiliter educandum humanum genus paſſim edocuit, excellere duas in primis, militarem ſcilicet, & litterarum cognitionem nemo umquàm ſanę mentis uir, & antiquitatis, exemplorumq; notione paulliſper imbutus ſecus exiſtimauit, aut ſenſit, utra uerò præſtet, aut magis expetenda uideatur: etſi nondum ſatis adhuc explicata ratio uiſa eſt: tamen exorti ſunt, quotidieq; exoriuntur excellentes in vtriuſq; facultate uiri ex omnibus propè regionibus: Sed una Hiſpania tot ditionum, & regnorum auctrix, & ſeruatrix unum ſibi potiſſimum ſemper propoſuit, & ſecuta eſt militare decus, aluitq; ſingulis ætatibus bellicoſiſſimos uiros, & qui fidem Catholicam, Imperatoriamq; maieſtatem accerrimè ſemper tutati ſunt. Inter quos clariſſima, & uetuſtiſſima domus ueſtra nulli umquàm inferior fuit, aut rei militaris uirtute, aut fidei præſtantia, quin & res bellicas ſtrenuè ſemper, ſapienterq; geſſerit, & Regiæ maieſtati, Imperatorumue celſitudini fideliſſimè ſemper, ac inuictiſſimè deſeruierit. Quod, cum tu quoq; digniſſima maiorum imitatione præclarè ſemper egeris, plurima iam dignitatis, & honoris inſignia conſequutus es, maioraq; aſſequêre.

Vale.

BAR-

BARTHOLAMEO A TVRRE
Præpoſito, & Sacræ Theologiæ
Doctori.

ETsi tu, mortalium omnium ornatiſſime, nullo hactenus inſigni argumento meam in te beneuolentiam perſpexiſti: tibi tamen etiam, atq; etiam perſuadeas, uelim; neminem eſſe uno me tui amantiorē, & qui de ingenio tuo, ac admirabili eruditione, aut ſentiat candidius, aut omnino prædicet honorificentius. Vale.

FRANCISCO VICEDOMINO
Patricio Parmenſi, Ticinum
habitanti.

ETsi uix commune erat argumentum, quod tibi à me putarem ſcribi oportere: fecit tamen magnitudo quædam, & uis amoris mei; nomen ut tuum, quoquomodo res ueniſſet in mentem, ſcriptis commendarem meis. Iniuriam enim tibi, uel mihi potius ipſi fieri putarem, ſi, cum iam multorum in laudibus efferendis nonnihil ſtudij, & laboris conſumpſerim; tibi uiro nobili, & in primis admirabili integritate morum, honorificeq; de me ſentienti non aliquid eſſe uellem ad memoriam meam nominis tui. Quamobrem uehementer opto ſuauiſſimam recordationem amicitiæ noſtræ præſertim multis, & magnis officijs

à te di-

à te diligenter cultæ his meis ad te teſtari litteris. Vale.

AD CLARISSIMVM VIRVM Franciſcum Gentilem.

EGREGIVS vir es, immo ſanguine clarus auito
Regia cui mens eſt, Imperijq́; decus.

AD ANTONIVM MARIVM CANEM Patricium Ticinenſem; & Iuriſconſultum.

IN te uerò auctoritatis, & ſapientiæ tantum eſſe video; nihil ut eſſe poſſit illuſtrius, aut audiri præſtantius. Itaq; me pertenuis hominem fortunæ, nulliusq́; propè auctoritatis cupientem quidem certè litteras ad te dare, pudor prohibet. Vale.

AD HIPPOLYTVM TVRATVM Carthuſiæ, Ticini Præfectum, alioſq́; eius ordinis Monachos.

IPSE quidem ueſtros mores, exemplaq́; uitæ
Admiror, veſtri dum comes eſſe paro.
Omnia nam uideo magnis nutare periclis
Inſidias animæ mundus ubiq; ſtruit,
Quid mihi, quid uani prodeſt hæc gloria ſecli;
Numen adoremus Chriſtę benignę tuum.

AD

AD IO. BAPTISTAM Valdanum.

LAETITIAM Charites tibi conceſſêre ſorores
Atq; uiros gratos gratia grata parat.

D. GREGORIO PELLICIARIO Canonico Regulari Lateranenſi. S.

ETSI, quod ad te ſcriberem, nihil erat, quod magni noſtra intereſſe putarem: feci tamen abundantia quadam amoris mei; ut leue potius quiddam ſcriberem, quàm nihil omnino darem. Cum præſertim, quoties rerum tulit euentus, in me & ornando ſępe ſuauiſſimo ſermone, & adiuuando nihil aut officij hominis amantiſſimi, aut ſtudij diligentiſſimi prætermiſeris. Quod ſi tu quoq; eandem de mea erga te uoluntate ſpem habes, ea te profectò numquàm fallet. Nam mehercule, ego te & colui ſemper ſtudioſiſſimè, & ſuauitates officij, humanitatis, & ingenij tui numquàm deſtiti prædicare. Præterea confidas ſemper, & ubiq; locorum à me habitum iri uiciſſim rationem honoris, & dignitatis tuæ. Vale.

AD HIERONYMVM VACCHAM nobilem noſtrum diſciplinarum alumnum.

ETsi fortuna, quæ in rebus præſertim humanis maximam uim, poteſtatemq; ſemper habere uiſa eſt, uel incerti potius rerum euentus ab ea nos con ſuetudine, atq; conuictu diſiunxerunt, & ab ijs etiam ſtudijs, & officijs mutuis, quæ neq; grati ora, neq; iucundiora cuiquam accidiſſe puto: Mihi tamen eam memoriam tui perpetuò conſeruandam eſſe duxi; qua nullam, putes, uelim fieri, aut conſeruari poſſe præſtantiorem. Tu, mi Hieronyme, ſi tui quam ſimil limus eſſe uis, idem facias, neceſſe eſt. Quid? arctiſſimum illud & honeſtum mutui amoris, & uoluntatis uinculum, incredibilis illa coniunctio animo rum noſtrorum ulla diſſoluetur iniuria temporum, aut diſtantia locorum? A me numquàm fiet, ut obliuiſcar ſuauitates ingenij; humanitatis, modeſtiæ tuæ. A te tua nobilitas, tui mores, & ratio ipſa poſtulat, ut mei perpetuo memor, gratusq; eſſe uideare. Amantiorem me tui nec fuiſſe quemquam, nec fortaſſe etiam fore, tute es teſtis.

Vale.

BONI-

BONIFORTO BOBBAE HVMANARVM litterarum profeſſori, S.

SVPERIORE anno, cum unà per urbem inambularemus, ſi memoria tenes, multa de ſtudijs, ac doctrinarum ſtudioſis, quorum ſimilitudo iucundiſſima ſemper noſtrum utriq; fuit; plura de diuerſis auctorum libris familiariter, & amicè legimus. Qua in re, & ego de excellenti uiro, homineq; doctiſſimo, & tu me eruditiſſimorum, proborumq; uirorum; uel tui potius ſimilium ſtudioſiſſimo, non omnino fortaſſe imperito, fideli quidem, ac amiciſſimo familiariſſimè ſemper uſus fuiſti. Sed incidimus præſertim in ſermonem illorum, qui omnem penitus humanitatem obliti ſingulo quoq; uerbo orationis ſuæ & aliorum etiã doctiſſimorum famæ detrahere prorſus intendunt. Quorum hominum, uel Barbarorum potius inſcitiã, & te neglexiſſe ſemper dicebas, & ipſe tantum abhorrui, ut ſi qui mihi interdum auctores eiuſmodi in manus incidiſſet, ſtomacharer uel unius tantum lectione periodi. Ii uerò ipſi ſi ſe aliquando colligerent, cogitarentuè, quæ, & quanta ſit, ſemperq; fuerit, quorumq; uel animi, uel corporis imbecillitas, & peritiſſimum propterea quemque labi aliquando poſſe, non tam leuiter fortaſſe improbarent aliorum ſcripta. Equidem, ſi quorum ipſe noui umquàm errores, conſideraui ſemper me, uel quid ſimile, uel grauius etiam quidpiam committere poſſe. Quamobrem, præcabar eum, qui me hominem fecit ad imaginem ſuam, ut eorũ, meiq; deinceps intelectus tenebras, ſic illuminare uellet, nè quid tale amplius committi, aut excogita-

ri poſſet. Hæc à me tibi, Boniforte humaniſſime, eo nō mine ſcribūtur, ut ſi quādo in obtrectatores quospiā meos incideres (quos fore auguror non paucos,) uel ſi tu potius in ijs, qui iam imprimuntur, libris meis, quicquam minus ornatum reperies, cogitare uelis, (quod per te iam facturum ſperabam) præter Deum Optimum Maximum poſſe in terris omni ex parte perfectum reperiri præterea neminem. Ego enim iā uideo fore, ut uel impreſſionis, uel meæ potius imbecillitatis cauſſa, non pauca in illis reperiri poſſint, quæ notentur; ea corrigant; qui uelint, amicè, qui autem ſecus auſi fuerint, det illis Deus ſuo de rore cæli, & de pinguedine terræ. Vale.

BONIFORTVS BOBBA
Lazaro Chriſtiano S.

NIHIL, ita me Dij ament, litteris tuis iucundius mihi accidere potuit, ex ijs enim iucundiſſimam neceſſitudinem noſtram, cuius optatiſſimo fructu, ob permoleſtas utriusq; occupationes perraro frui licuit chariorem in dies habuiſſe, ac amantiſſimè conſeruaſſe, perſpexi. Præterea incredibilem cœpi uoluptatem, ex eius ſermonis recordatione, quem ſuperiore Maio, (ut memoria optimè tenuiſti,) de doctiſſimis, elegantiſſimisq; latinæ linguæ ſcriptoribus, peramanter habuimus. Quorum miram ſcribendi elegantiam, & doctrinam, cum uehementer admirareris, ijs tibi tamquàm optimis, & præſtantiſſimis ducibus præ poſitis; ingenio tandem, induſtriaq; tua, ſyncerum,

& can

& candidum dicendi genus aſſequutus es. An mentiar, epiſtolæ, orationesq; tuæ propediem, (ut dicis) in lucem proditura, peregregiè teſtabuntur. Quas tametſi non legerim (neq; enim facultas data eſt) ciuibus tamen noſtris non ingratas fore arbitror. Cum quia præclarè, & luculenter ſcriptas eſſe reor, tùm quia ad ciues mittuntur. Quo nomine, mi Lazare, & tibi, & illis, uti debeo, gratulor, ſi quidem cum ijs benè actum iri confido, quando contigit tibi ſingularis prudentiæ uiro, & eximia doctrina præſtanti morũq; probitate, conſpicuo, filios ſuos, optimos adoleſcentes credere, illorumq; ingenia præclaris uirtutibus excollenda committere. Quod cùm mirificè; & ex eorum ſententia, ac opinione præſtiteris, nonnullos tibi ita deuinxiſti, ut ſe non minus tibi, quàm ipſis (uti decet) parentibus debere cognoſcant. Quamobrem, perge, ut cœpiſti, ac de omnibus quotidie magis benè mereri ne pigeat. Fructus enim ex laboribus tuis quàm uberrimos capies. Maleuolentiſſimas autem inuidorum obtrectationes, extimeſcere non debes. Non ſi omnibus maleuoli ſunt, non eſt, quod cõmune malum, tu ſolus ægrè feras, præſtantiſſimus is heros, quo nihil poteſt eſſe illuſtrius, nihil excogitari humanius, libros tuos ſibi conſecratos, accerrimè tuebitur, atq; defendet. Tuæ tamen prudentiæ eſt, quàm poteris, ſtudioſiſſimè curare, ut in manus hominum, quàm emendatiſſimi ueniant. Vale & me quantum uolo (uolo autem plurimum) ama. Ex ædibus noſtris 16. kal. Nouemb.

PRO AMPLISSIMO TICINENSIVM IVdicum, & Cauſidicorum Collegio oratio ſecunda, habuit Camillus Sacchus, Caſtelli F.

VEteri conſuetudine, inſtitutoq; maiorum, cōparatum eſt, conſeſſus ornatiſſime; ut ſingulorū annorum decurſu ſæpius adhibeatur uir bonus quiſpiam dicendi peritus, uel adoleſcens potius optimarum artium ſtudijs, & excellentis eloquentiæ præceptis deditus, ſummæq; modeſtiæ fama, qui, quòd à maioribus ueſtris optimis, & probatiſſimis, longèq; in poſterum proſpicientibus ad decus, & gloriam huius ampliſſimi collegij inſtitutum; uel à uobis rerum peritiſſimis, atq; ſingulari prudentia uiris, præclarè, ſapienterq; geſtum eſt, uehementer approbet, & uerbis, uel ad dicendum iucundis, uel ad audiendum accomodatis uehementer extollat. Hoc mihi hodierna luce quiduis aliud certè cogitanti, quo fato ſingulari impoſitum fuerit onus ſubeundum, haud equidem ſcio. Nam mehercule; cum ſæpe mecum te nuitatem uirium mearum, & rei quanta præſertim hæc eſt, magnitudiuem ipſe perpenderem, cogitaremq; quæ de oratore præcéperit Romanus ille eloquentiæ Princeps, & auctor, qui ſuis eleganter, & ornatè ſcriptis oratorem omni laude cumulatum nemi nē appellari poſſe cēnſuit, niſi qui fuerit rerum, oīum atq; etiam magnarum ſcientiam conſequutus, uidebam profectò hoc maius eſſe quiddam, quàm me leuiſſimis humeris meis ferre poſſe confiderem. Itaq; cum mihi non uiro forti, non erudito adoleſcenti, nō rectiſſimis ſtudijs, atq; optimis artibus, qualis eſſe

uellem,

uellem, aut certè deberem, prædito; ſed planè tyrun culo, nouoq; planè Palladis, & Apollinis militi; qui peacris huius militiæ, priuatæq; paleſtræ rationes me cum nunquàm adhibui, onus ſanè magnũm, & dignũ quidem certè in quo omnes nerui contendantur, ſubeundum contigiſſet; facilè cogitabam, atq; mente conceperam, me nón eſſe eum, qui dignum quicquã ueſtris auribus, aut lectiſſimo hoc iudicum, doctiſſimorumq; hominum conſeſſu probabile poſſem afferre. Quamobrem numquàm in hunc locum cuiuſuis præſtantiſſimi doctrina uiri, atq; diſertiſſimi oratoris digniſſimi, (qui meus pudor erat) auſus eſſem aſcendere; tanta præſertim de re uerba facturus: niſi me ueſtra hortata eſſet humanitas multis antea meis explorata condiſcipulis, traheret laus, præmia uirtutis alicerent, & eius præceptoris coegiſſet auctoritas, cuius iudicio, atq; eruditione cum planè uideam, me, qui bruti inſtar animalis eſſe uidebar ratione prope, atq; oratione carentis, iam aliquid hominis habere; ſi illius etiam fideliſſimis præceptis, uel ad nutum non obſequerer; nefas mihi putauiſſem. Quare ſi quid dicetur à me dignum ornatiſſimo conſeſſu ueſtro, id ipſum ſibi referendum putabitis; in expectationi ueſtræ minus, quàm par eſt, & ego certè uellem ſatisfeciſſe contigerit, eius muneris magnitudo, quod inuitus ſuſcepi, facilè me uendicabit. Cum nullus igitur mihi amplius relinqui uideatur dubitandi locus, ſi minus, pro dignitate ſatisfiet; aggrediar bona cum uenia ueſtra, & rem grauiſſimam paucis amplectar, & pro aſſignati temporis ratione inſtitutæ orationis exitum breuiter expediam. Sed iam mihi rem ipſam aggredi certè cupienti uidere uideor, ornatiſſime conſ-

ſenſus

ſeſſus, ueſtra ora, flagranteſq; oculos in me ipſum penitus conuerſos; quaſi magnum aliquid à me, inſigne, atq; præclarum dicendum putetis. Et mehercule ueſtra hæc lectiſſimorum ciuium, ornatiſſimorumq; uirorum corona non niſi orationem accuratam, & uerbis refertam grauibus poſtularet habendam: mihi uerò ſæpius hoc ipſum conſideranti, & ad ſumma ſemper annitenti uiſum eſt etiam laudabile in ſecundis poſſe, tertijſq; ſubſiſtere. Athenienſis ille Pater eloquentiæ Iſocrates, uir habitus ſemper honeſtì maximè ſtudioſus, cuius excellentiam ingenij, egregiam à puero indolem, & diuiniſſimas ad uirtutem animi motiones diuinus autor Plato ſummè ſemper fuit admiratus ſapienter aut dixit, aut ſcriptum certè poſteritati reliquit omnes prorſus hominum actiones ad religionem, pietatem, ſtudiumq; uirtutis, & animorū felicitatem ſpectare, & referri debere. Hanc, (ut opinior) ſententiam ſequuti maiores olim noſtri uetuſtiſſimi, & reliogiſſimi uiri ampliſſimū collegium hoc, & ſanctiſſimum pietatis opus ſtruendum diligenter curauerunt, ſtructumq; paſſim maximis locupletarūt cenſubus; & plurima ei immunia, & quaſi dotalia prædia reliquerunt. Quorum omnium prouentus eleemoſynarum, (liceat mihi & nunc uocabulo nouo uti prȩſertim in re noua) pòſtea nomen ſibi ſortientes ſtatutis ex ordine temporibus erogarentur omni pauperum generi, ut deinceps locus eſſet in ampliſſima ciuitate, quo, tamquàm ad alicuius portum ſalutis pauperes, peregrini, uiduæ, pupilli, & omnes omnino homines calamitate laborantes confugere poſſent, ſolamen aliquod, perfugiumq; ſuſcepturi. Quòd ſi omnibus, qui patriam conſeruauerint, adiuuerint,

auxerint

auxerint, certum eſſe in cælo locum putamus, ubi beati æuuo ſempiterno fruantur; maioresq́; noſtri nullã rem habuiſſe uideantur patria ipſa chariorẽ, cui & ſeſe totos dedidere, & in qua omnia ſua poſuerunt, & quaſi conſecrarunt; profectò mihi, & optimo cuique piè credendum eſt, eos magnum eſſe in cælo pietatis ſuæ prǣmium conſequutos. Quicumque poſtea ſingulis ætatibus ad imitationem maiorum ſeſe totos conformare cupientes, futuræque pauperum ægeſtati miſericorditer conſulentes aliquid de prædijs ſuis, & ceterarum rerum prouentibus collegio legauerũt. Ij etiam celebri fama, pariq; uoluntate in cælo tollendi ſunt. Et ſi mihi liceret maximè quidem certè cupienti quicquam priuatim proloqui de diuiniſſimis patrum, maximèq; Pontificum noſtrorum laudibus, conſtantiſſimisq́; actionibus, ſanctiſſima religione, ſummaq́; in Deum, & homines pietate, o qui mihi campus eſſet in quo, & cum priſcis Romanis, & cum noſtris, neq; tamen recentioribus multa poſſem lubens conferre. Sed de uetuſtiſſimis huius frequentiſſimi collegij inſtitutoribus, & ſi nulla in noſtris ueterum annalium monumentis cõſtans fides haberi poſſe uideatur, propterea, quòd uel eos interceperit fortaſſe cruentiſſimus, ac inopinatus, isq; multiplex exterarum gentium bellorum euentus, uel aboleuerit matura uetuſtas: qui tamen tanta commoti pietate opus propè diuinum, quale hoc eſt inſtituerint eo nõ niſi clementiſſimos extitiſſe credimus facili coniectura conſequimur, & ita piè credendum eſſe pleniſſimũ fidei noſtræ robur adhibemus. Qui uerò amplioribus paſſim ornamentis hoc ipſum auxerint, locupletarint, pietatis locum Regia illa fuit in primis Federici Oeno

barbi

barbi, Imperatoris ſummi poteſtas, cuius uel incredibilis fuit in maiores noſtros beneficentia, clementiaq; ſingularis. Itaque tanti Principis, tantorum meritorum perpetuò memor futura ciuitas noſtra inauratam illi effigiem, & quaſi æneam ſtatuam hanc perfici, perpetuòq; dicari uoluit memoriam nominis ſui. Veſtrum eſt, ſapientiſſimi collegij Pręſides, cenſuumque rectores, præclaras eiuſmodi, propèq; diuinas maiorum ueſtrorum, quorum ſimiles eſſe debetis, uirtutis actiones ſummis proſequi laudibus, & modis omnibus ad imitationem contendere. Quandoquidem nulla gloria poteſt eſſe maior, nulla illuſtrior, nulla deniq; firmior ſempiternis ſœculorum ętatibus quàm talem de uobis famam meritorum poſteritati relinquere, qua etiam mortui uiuere uideamini in omnium ore celebrandi. Religionem in primis, pietatemque colite, leges, decretaque patrum ueſtrorum diligenter obſeruate. Viros enim bonos, eos potiſſimum dici, & haberi meritò iudicaui,

Qui conſulta patrum, qui leges, iuraq; ſeruant.

In collocandis uerò beneficijs, & ijs bonorum prouentibus in pauperes erogandis hoc maximè officij mihi, & uobis etiam facilè poteſt uideri; ut ex multis quiſquis plus opis indigeat ei potiſſimum cōferatur. Nam, qui ſplendoris, & gloriæ cupidi eripiunt alijs, quòd alijs elargiantur; ut beneficos in ſuos amicos, ac liberales eſſe uideantur, ij tam abſunt ab officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium, de quibus præclare mihi ſcripſiſſe uidetur. Ouidius

Viuitur

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non habet unde ſuum paupertas paſcat amorem.

ET ALIBI

In pretio pretium nunc eſt dat cenſus honores,
Cenſus amicitiam, pauper ubiq; iacet.

Quamobrem mihi plurimum ſemper probatum illud conſilium ueſtrum; ut eligerentur ſeniores quidam ex collegio uiri ſumma prudentia, ſummaq; item cõmoti pietate, atq; integtitate præditi; qui præcipuã, & diligentem uellent curam adhibere; ut hæc ipſa collegij bona ijs potiſſimum erogentur, qui maximè uideantur egere. Vt quæ à maioribus relicta, & legata collegio ſunt, rectè, fideliter, atq; integerrimè adminiſtrantes nequaquam degeneres eſſe uideamini à præſtanti illorum uirtute. Sicq; de uobis etiam canere poſſit futura poſteritas.

Facta ſenum manent, operoſaq; gloria rerum
Hæc manet, hæc auidos effugit una rogos.

ET PROFECTO

Omnia poſt obitum fingit maiora uetuſtas,
Maius ab exequijs nomen in ora uenit.

Sed, ut pleniori obſequio paupertatem demereri poſſitis, & conſtantiſſimis maiorum actionibus reſpon-

dere, præter rectam. & iuſtam adminiſtrationem earum rerum, quas illi reliquerunt, ſtudeat etiam quiſque ueſtrum ſuis & iuſtis de laboribus aliquid ſemper ad indigentis utilitatem ferre.

Quicquid.n.tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſetur, nequaquàm munus dicendum eſt; ſed mutuum: quia quod datur in terris multiplicato proculdubio fructu recipietur in cælis. Sibi uerò apud Deum pietatis ianuam claudit, qui uiſcera miſericordiæ proximo mendicanti non aperit. Quare, ut ſuum iam breui finem ſequatur oratio mea, hortor, atq; obſecro uos, æquiſſimi Iudices, integerrimi cauſarum oratores, atq; actores, & quotquot adeſtis per lêgitimos legum, & iudiciorum tramites quotidie decurrentes, ut uelit quisq; ueſtrum uiduarum defenſionem libenter ſuſcipere, pupillorum tutellas minimè refutare, deſſidentium paci in primis conſulere. Hoſpitetur à uobis amicè peregrinus, adiuuetur oppreſſus, ueſtiatur nudus, & foueatur ægrotus, ut quiſquis ueſtrum auctori omnium Deo ſacrificium huius pietatis obtulerit; ab eodem regni cæleſtis præmium percipere mereatur. Dixi.

Iacobo

IACOBO DOMINICO OLEVANO nobili legum ſtudioſo, Hieronymi F.S.

CVM te cupidiſſimum mei; ſingularemq́; mihi beneuolentiam præſtitiſſe cognouerim: Omnino putaui mihi eſſe faciendum, ut & ad te aliquid eſſe uellem litterarum mearum, memoriamq́; meam officij, humanitatis, & liberalitatis tuæ commendarem ſcriptis, & monimentis meis. Vale.

CAROLO EQVITI, ET FRANCISCO Pompeio Cornazanis. S.

PVtarem equidem paullò facilius ferre me poſſe deſiderium ueſtri; ſed planè non fero, & quamquàm ad uoluntatem clariſſimi parentis ueſtri, ſummique de me uiri, intereſt, uos ruri diutius commorari: tamen peccaſſe uos mihi uidemini, qui à nobis diſceſſeritis. Vos autem hoc uobis perſuadete, ſi commodo ualetudinis, & eruditionis ueſtre fieri poſſit, nihil me malle, quàm iſtic uos eſſe, ſin intelligetis uobis opus eſſe opera mea, nihil me malle, quàm uos ad me quã primum redire. Vnum illud, ſpectatiſſimi adoleſcentes mei, uidebitis, ſi me amatis, ne uos hæ litteræ moueant meæ. Quod ualetudini ueſtræ maximè conducet, ſi feceritis; maximè obtemperabimini uoluntati meę. Hæc pro ueſtro ingenio conſiderate. Nos ita

uos deſideramus, ut amemus, amor; ut ualentes uideamus, hortatur; deſiderium, ut quàmprimum. quã tum me diligitis, tantum facitè, ut ualeatis. Valete. Ticini ſexto idus Septembris.

PEROTO BRVSCIOTO. S.

DIScubueram heri perueſperi, cum mihi reddita fuit epiſtola tua, ex qua intellexi id, quod mihi iucundiſſimum fuit, perlatum eſſe ad te faſciculum litterarum mearum. Ago tibi gratias, quòd nihil aut ſtudij, aut diligentiæ pretermiſceris, ut mihi quàmprimum reſponderes. Petrum nepotem mihi omnium chariſſimum, tuiq; cupidiſſimum tuo nomine iuſſi ſaluere, idem tibi gratias, cumulatiſſimè reddit, & accuratè ſalutat. De fratre nihil habeo, quod ad te uelim, aut certè poſſim ſcribere: commoratur enim ruri uindemiarum cauſa. Cum ſtatim redierit, faciam te certiorem. Tu uelim potiſſimum ſcribas ad me de ſtatu clariſſimi uiri: quamquàm ex ſilentio litterarum tuarum facilè auguror illum fortaſſe melius habere. Vale Ticini, ſexto idus Septemb.

1579.

EIDEM.

CVm iã obſignaſſem epiſtolas meas, ecce puer tulit ad me expectatiſſimas litteras ueſtras, unas .ſ. à te, alteras, quas accepi ab illuſtri adoleſcente Carolo equite omnes tamen ſcriptas humaniſſimè. Sed mole-

moleſtiæ mihi non nihil adſperſit; illa epiſtolæ tuæ pars, in qua ſcribis ad me non rectè feciſſe inſcriptiones ſupuriorum epiſtolarum mearum; quòd in ea, quam tibi ſcripſeram prænomen erat equitis, & in ea quam equiti tuum. Sed quid agis; ex eo conſidera miſeram, & communem ferè mentis humanæ conditionem, quæ etiam nolens, ſæpe tamen fallitur. Vale.

AD ALEMANVM ALEMANVM, Ciuem Ticinenſem.

CVM mortales omnes illud tantum ſcire uideantur, quod memoria teneant; propterea mihi ſæpius aſſentiendum eſſe duxi auctori ſummo, rerumq; omnium exagitatori Platoni non temere fortaſſis opinanti, nihil aliud noſtrum ſcire, quàm quidam eſſe reminiſci. Nã, cum tu uir integerrime ageres de mea dignitate, memor qui eſſe cupiebam officij in me, & diligentiæ tuæ, promiſſi tibi, atq; recipi, fore, ut in ſcriptis meis extaret omnino memoria aliqua mea nominis tui. Hoc tum mihi optimè ſciebam eſſe faciẽdum, hoc memoriæ mandarem, hoc denique debitum tibi officium meum liberalitatis tuæ nullo modo ducebam eſſe prætermitendum. Cum tamen uarij interea rerũ euentus illud ex animo ita mihi extruderint; ut niſi tu nuper mihi in memoriam redegiſſes, tanti muneris oblitus facilè potuiſſem tibi à me ipſe deſciuiſſe uideri. Nihil enim mihi amplius ueniebat in mẽtem, quòd ad te ſcribi putarem oportere. Quare ad ea, quæ tibi antea debebam rebus amantiſſimè, ac integerrimè geſtis erga me, magna ex eo acceſſio facta eſt obligationis meæ. Vale.

IO. PETRO IMBERTO ARTIVM & medicinæ doctori in Ticinenſi Gymnaſio.

CVM te mihi iampridem doctrinæ cuiuſdam ſingularis admiratio conciliarit,& tu tuam deinde operam,atq; ſtudium omne fixeris & locaris in cõmodis & ornamentis meis;Perſuade tibi, mi Imberte humaniſſime, tuo nunc in me animo tam propenſo,tam candido, tam ardenti, atq; amico nihil eſſe charius quicquam,neq; iucundius fore. Vale.

AD IVLIANVM MARIANVM CELEberrimum artium & medicinæ profeſſorem in Ticinen.Gymnaſio.

TANTVM ſemper habuit in ſe decoris, atq; dignitatis uirtus præſertim nobilium & ſumma cum laude uiuentium uirorum tui ſcilicet ſimilium; ut non modò propinquos,familiares,& amicos;Sed ignotos etiam, & exterarum uſq; homines nationũ traxerit ad amorem ſui. Itaq; mihi tecum & ſi nullus hactenus interceſit uitę uſus, nullum amicitiæ uinculum, nulla deniq; familiaris communicatio ſermonis, mirifica tamen prædicatio ingenij, uirtutis, & doctrinæ tuæ, quæ ſolenni ubiq; præconio commendatur, ita me allexit ad te amandum, atq; colendum; ut ſi tibi, ijs ſaltem litteris notior, atq; charior eſſe poſſem, præcipuam quandam felicitatis partem aſſequi me putarem. Vale.

FINIS.

INDEX EORVM, AD QVOS MISSAE SVNT EPISTOLAE, VEL POEMATA.

A

ALOYSIO Cribello Comiti, & equiti folio. 143
Aloyſio Rubeo. 174
Alexandro Caſalio Epiſ. Vigleueni. 155
Alexandro Beccariæ Archangeli. 61
Alexandro Beccariæ Petri. 159
Alphonſo Beccariæ Comiti. 24. 66. 152
Alphonſo Cani. 75
Alphonſo Manrliano. 176
Auguſto Bertio. 159
Auguſto Buttigellæ. 170
Auguſto Bottæ. 38
Auguſtino Cameræ. 189
Antonio Londonio Præſidi, & Senatori. 89
Antonio Mario Cani. 206
Antonio Manrliano. 176
Alemano Alemano. 121

B

BArtholomæo à Turre Prepoſ. & Doct. 203
Bartholomæo Cagnolio. 69

† Bernar-

Bernardino Gerlio. 35
Bernardino Polerano. 196
Borgnino Caualcano Vic. 145

C

CArolo Beccariæ Comiti. 148
Camillo Scaphenato. 46.71.180
Camillo Surimano Mediol. 164
Camillo Galinæ I. C. 31
Camillo Salerno. 173
Carolo Mediobarbo: 167
Carolo Cornazano equiti. 39.119.171.219.
Carolo Manrliano. 197
Carolo Borromæio Cardinali. 30
Carolo Buſchæ. 33
Carolo Torto Præpoſilo, & I. 163
Carolo Angelo Gheringhellæ 43
Caſtello Sacco Medico. 46
Cæſari Aduocato Iudici. 83
Cæſari Lunato. 78
Cæſari Curtio. 202
Cæſari Auguſto Codaciæ. 121
Claudio Albano. 101
Chriſtophoro Curtio. 203
Chriſtophoro Caſtronæ. 164

D

DArio Camillo Aſtulpho. 8
Danieli Iuſtino. 36.123
Dionyſio Paiardo. 35

E

EPaminondæ Cani. 150

F

FEderico Scaramuciæ Comiti. 202
Franciſco Gentili. 206
Ferdinando Bruguræ. 154
Franciſco Hernandes Caſtri Ticin. prœfex. 204

Franciſco

Franciſco Vicedomino. 205
Franciſco Bernardino Barracho. 200
Franciſco Pompeio Cornazano. 36
Fauſto Cani. 77
Franciſco Bernardino Cribello. 161
Franciſco Bozolæ. 92
Franciſco Lunato. 112
Franciſco Auegnio Auditori. 27.104

G

GAleatio Bruguræ Senatori. 41
Galeatio Beccariæ Comiti. 162
Georgio Rippæ. 161
Geneſio Calcho Mediol. 147

H

HErculi Malaſpinæ Marchioni. 187
Herculi Viualdino. 163
Heſtorri Vicecomiti. 79.102
Hieronymo Cornazano. 38.42.186
Hieronymo Nibbio Romam. 126
Hieronymo Caualario. 118
Hieronymo Millo Præpoſito. 116
Hieronymo Furnario. 83
Hieronymo Torto Equiti. 108
Hieronymo Salimbenio. 152
Hieronymo Beccariæ cogno. Præuoſt. 170
Hieronymo Vacchæ. 208
Hieronymo Montio. 28
Hieronymo Oleuano. 198
Hieronymo Caſſono Philoſopho. 64 185
Hieronymo Lunato. 39
Hippolyto Rubeo. 1.192
Hippolyto Vicecomiti. 185
Hippolyto Turato. 206

I

IAcobo Andreæ Boldono. 9
Iacobo Mayno. 161
Iacobo Franciſco Torto. 176
Iacobo Antonio Bertio. 168
Io. Iacobo Beccariæ. 33.71
Io. Baptiſtæ Torniello. 164
Io. Petro Doſſio. 189
Iulio Cæſari,& Gabrieli Marchionibus. 185
Io. Marco Montiſmerulo Dherton. 174
Io. Baptiſtæ Doſſenæ. 174
Io. Mariæ Simonetæ, Præpoſ. & Doct. 4.175
Iulio Cæſari Birago. 37
Iulio Cæſari Georgio. 173
Io. Antonio Imperiali. 167
Io. Antonio Mediobarbo. 163
Io. Petro Contignio. 164
Io. Cani. 147
Iacobo Franciſco Gambaranæ Senatori. 137
Io. Antonio Moſtino. 175
Ilioneo Ribuffo. 124
Io. Antonio Zelato. 122
Iulio Ludolpho. 199
Io Baptiſtæ Paſqualio. 203
Io. Baptiſtæ Iuſtino. 36
Io. Dominico Oleuano.
Iuliano Mariano.
Io. Baptiſtæ Marinono. 114
Io. Baptiſtæ Rainoldo Præſidi. 179
Io. Petro Imberto. 110
Ioanni Bouulo. 26.106
Iulio Paullo Tuſcano. 96
Io. Gulielmo Boniolio. 87
Ioſepho Salimbenio Equiti. 84
Io. Iacobo Aicardo. 80
Io. Lucæ Belochio. 79

Io. Bapti-

Io. Baptiſtæ Montio. 77
Io. Baptiſtæ Valdano. 27
Io. Petro Philiberto. 76
Iaſoni Mayno. 57
Io. Iacobo Cataneo. 40
Io. Henrico Furnario. 38
Io. Paullo Guaſco. 35
Io. Dominico Carazano. 190

L

LVdouico Albutio. 173
Ludouico Balbiano. 129
Ludouico Codaciæ. 94
Ludouico Acerbo. 70

M

MArco Corregiaio. 186
Marco Antonio Cucco. 67
Mario Buttigellæ. 157.176
Matheo Curtio. 100
Marco Antonio Roueſchallæ. 140
Matheo Cellanouæ. 167

N

NIcolao Gratiano. 54
Nicolæ Parmæ. 77
Nicolao Boſſio. 41

O

OCtauio Buttigellæ. 18.134
Octauiano Ferrario. 82.184
Octauiano Cataneo 185
Octauio Vicecomiti. 115
Octauiano Boldono. 158
Orlando Zaceræ. 171
Petro Antonio Lunato. 35
Petro Franciſco Birago. 37

Petro

Petro Antonio Boneto. 40.149
Petro Camillo Cani. 40.149
Petro Antonio Curtio. 94.158
Peroto Bruſcioto. 98
Petro Chriſtiano Nepoti. 168.195.184.34
Petro Vhermi. 184
Paullo Iuſtino. 36
Proſpero Carreto. 76
Paullo Antonio Montulmo. 169
Papiniano Gerardo. 185
Philippo Leonio. 190

R

RInaldo Titoni Comiti. 138

S

SIgiſmondo Picinardo Senatori. 168

T

TOrquato Gambaranæ. 117
Thomæ Barno. 169
Thomæ Guallæ. 75
Troylo Rubeo. 3
Tullio Carreto. 76

V

VIncentio Montiſmerulo. 111.141
Vincentio Litardo. 158

F I N I S.

Ad Dei Opt. Max. Laudem.

EGo Io.Maria Simoneta, Colleg. Eccl. Diui Theodori Præpoſitus,& doct.uirtute præſentis paginæ manu mea exaratæ ingenuè fateor, fidemq; facio cuicumq; magiſtratui ad quem hoc negocij reſcire pertineat, quemadmodum iuſſu multùm R.P. F.Io. Dominici Carezani in ciuitate, & diœceſi Papien. ſolertiſſimi hæreticæ prauitatis Inquiſitoris, Sacræque Theologiæ profeſſoris doctiſſimi. Summa cum uigilantia,ac ſtudio & uidi, & ruminaui, non ſolùm epigrammata,quot quot ſint numero, uerùm etiam epiſtolas & orationes quasdam,quæ hoc in opuſcolo cõtinẽtur in quibus nihil omnino repertum eſt, quod S. & cath. eccl. repugnet,& aduerſetur.Cùm præſertim hęc quę diximus omnia,non niſi luculentam,puramq; humanarum literarum latinitatem redoleant. Salua tamen cuiuſuis hominis eruditi magis cẽſura, cui me citrà controuerſiam quàm libentiſſimè ſubmitto. Quæ quidem omnia cùm ita ſe habeant pro rei ueritate qua nihil fortius excogitari, & dici poteſt, hanc in lucem ſchedulam raptim edidi.Ex ædibus,D.Theodori quarto nonas Nouemb.1579.

Ego idem qui ſupra. Io. Maria Simoneta Diui Theodori præpoſitus &c.

Inquiſitor Papien concedit vt imprimatur.